PERIODICA
DE RE MORALI CANONICA LITURGICA

EDITA A PROFESSORIBUS
PONTIFICIAE UNIVERSITATIS GREGORIANAE

TOM. L. 1961 - FASC. II

ROMAE
SUMPTIBUS
PONTIFICIAE UNIVERSITATIS
GREGORIANAE

FASCICULI
INDEX ANALYTICUS

I. - Dissertationes et quaesita varia

II - Monumenta

DISSERTATIONES ET QUAESITA VARIA

REGIMEN DOMUS ORIENTALIS RITUS IN RELIGIONE LATINA

Regimen domus ritui orientali adscriptae, sed ad Religionem latinam pertinentis, non raro difficultates creat: agitur enim in casu de domo regenda sive iure canonico latino sive iure canonico orientali, ita tamen ut neque plene ius latinum, neque plene ius orientale applicetur.

Ut difficultatibus, quae in casu occurrere possunt, quantum fieri potest obviam faciamus, opportunum duxi declarationem proponere canonis 5, § 1 Constitutionis Apostolicae « *Postquam Apostolicis Litteris* » Motu proprio a Pio XII die 9 Febr. 1952 datae[1].

CANON 5, § 1: Can. 5, § 1 haec habet: « *Domus Religionum latini ritus quae orientali ritui, probante Apostolica Sede, adscriptae sunt, ius hac lege statutum servare debent, salvis praescriptis statutorum quae internum regimen Religionis respiciunt et privilegiis suae Religioni a Sede Apostolica concessis* ».

Duae partes in canone distinguuntur: in prima traditur principium generale, et in altera proponuntur eiusdem principii exceptiones. Primum dicemus de principio generali, deinde de exceptionibus, post aliqua de subiecto huius canonis, nempe de religiosa domo, praemissa.

---

[1] *Acta Apostolicae Sedis* 44 (1952) 65-150; haec Constitutio deinceps indicabitur hoc pacto: *M.p.*

DOMUS RELIGIOSA ORIENTALIS. — Agitur in canone directe, non de religiosis personis, sed de « domo religiosa », et quidem de quadam specifica domo, seu quae est pars Religionis latinae, at simul a ceteris domibus eiusdem Religionis distinguitur, quatenus orientali ritui est adscripta. Obiter notanda est relatio quae in canone fit inter ritum latinum et orientalem; non autem inter ritus orientales diversos, quia in hoc altero casu, ob uniformitatem in iure communi orientali tanta non habetur difficultas. Et quae dicuntur de domo religiosa, dici quoque possunt de provincia religiosa alicuius Religionis latinae, sed domibus orientalibus constituta.

Domus vero religiosa appellatur in iure « domus alicuius Religionis in genere » (*C.I.C.*, can. 488, n. 5; *M.p.* can. 312, § 3, n. 1). Religio autem hic venit accipienda in sensu generali prout in *C.I.C.*, can. 488, n. 1, describitur: « Societas, a legitima auctoritate ecclesiastica approbata, in qua sodales, secundum proprias ipsius societatis leges, vota publica, perpetua vel temporaria, elapso tamen tempore renovanda, nuncupant, atque ita ad evangelicam perfectionem tendunt ». Canon igitur noster eandem obtinet applicationem, sive agatur de Ordine sive de Congregatione, clericali vel laicali, virorum vel mulierum, cum vel sine exemptione, iuris pontificii vel dioecesani. Nec excludenda sunt monasteria, cum minime repugnet quod monasterium latinum autonomum aliud monasterium orientale a se dependens constituat.

Domus, quae in quaestionem hic venit, talis est quae, qua domus religiosa orientali ritui est adscripta, id est, non est domus latina, neque domus in qua *de facto* religiosi ritus orientalis commorantur, etsi isti religiosi omnes vel maior eorum pars ad ritum orientalem pertineant. Hac sola commoratione domus suam propriam et specificam condicionem non recipit; eam tantum et exclusive acquirit per eiusdem domus iuridicam ritui orientali adscriptionem. Adscriptio vero domus ritui orientali, ut legitime fiat, perfici debet a competenti Superiore, post obtentam approbationem et consensum

Apostolicae Sedis, id est Sacrae Congregationis pro Ecclesia Orientali [2]: nullus enim Superior Religionis latinae *ex se* potestatem habet aliquam domum suae Religionis latinae ritui orientali valide adscribendi, cum eius potestas intra limites *Codicis* comprehendatur, nec ullibi Superiori latinae Religionis agnoscatur facultas ex se aliquam partem suae Religionis latinae a iure proprio pro eadem Religione constituto eximendi, ut eam legibus orientalibus subiiciat.

Adscriptio domus ritui orientali non est negotium mere nominale, sed tale revera est, quod veras et iuridicas consequentias secumfert, quae breviter comprehendi possunt in subiectione per se plena auctoritati et legibus ritus orientalis. Quare, posita domus Religionis latinae ritui orientali adscriptione, quaeri potest et debet, quonam iure, latino an orientali, sit ea regenda. Cuilibet rem consideranti apparebit, quod ex integra iuris latini applicatione, adsurdum sequeretur, scilicet, haberemus domum orientalem iure latino moderatam. Aliunde, ex integra iuris orientalis applicatione non pauca nec parva incommoda sive domui sive Religioni advenirent, quae praeterea constitutioni huiusmodi domorum in sinu Religionis latinae, nedum faverent, obstarent: etenim facile oriri possent dissidia et aemulationes inter membra eiusdem Religionis, praeter quam plurimas difficultates in regimine, sive interno sive externo, istarum domorum. Facile oriretur quaedam veluti duplicitas in regimine; quaedam veluti Religio intra Religionem. Inde apparet necessitas normae iuridicae in can. 5 statutae, qua utrumque incommodum, quantum fieri potest, removetur.

Principium generale. — Principium generale iis verbis in canone enuntiatur: « Domus Religionum latini ritus quae orientali ritui, probante Apostolica Sede, adscriptae sunt, *ius hac lege statutum servare debent* ». Convenientia huius principii generalis ex eo elu-

---

2 Cf. Motu proprio « *Cleri sanctitati* », can. 195, § 1, n. 1, *A.A.S.* 49 (1957) 490.

cet, quod adscriptio domus ritui orientali, ut dictum est, non est mere nominalis, sed vera, realis et efficax, et, adscriptione posita, consentaneum est, nisi adsurdum iuridicum creare velimus, ut huic personae morali religiosae ius pro religiosis orientalibus latum applicetur. Convenit quoque hoc principium generale cum voluntate Legislatoris, qui, post hanc legem promulgatam, omnino vult ut disciplina de religiosis unice canonibus in eadem lege promulgatis regatur, etiamsi isti religiosi Praelatis diversi ritus, id est latini, sint subiecti [3]. Domus igitur huiusmodi, ob earum propriam condicionem iuridico-ritualem per se et primario iure orientali de religiosis sunt regendae et gubernandae, ita ut, in casu dubii, praesertim post ea quae infra sunt dicenda, ius orientale praevaleat.

Clausula « *ius hac lege statutum* » accipi debet in primis de iure in *M.p.* « *Postquam Apostolicis Litteris* » contento. Non tamen videtur ista clausula esse sensu tam restricto accipienda, ut excludatur ius religiosos afficiens et promulgatum sive ante sive post hoc *M.p.* Potius videtur quod illâ clausulâ comprehenditur omne ius, sive iam promulgatum sive promulgandum, quo Sancta Sedes vitam religiosam in Ecclesia Orientali moderari intendat, et huic iuri completo applicanda erit norma in nostro can. 5, § 1 enuntiata.

Attamen, domus, de quibus est quaestio, ratione ritus orientalis peculiarem induunt condicionem, quae proinde peculiarem quoque condicionem iuridicam exigit. Huiusmodi enim domûs, eo quod sint ritus orientalis,

---

3 « Nos autem per Apostolicas has Litteras motu proprio datas supra recensitos canones promulgamus iisdemque vim legis christifidelibus Ecclesiarum Orientalium tribuimus, ubique terrarum hi sunt et tametsi Praelato diversi ritus sunt subiecti. Simulac per Apostolicas has Litteras huiusmodi canones vigere coeperint, sua destituentur vi quodlibet statutum, sive generale sive particulare vel speciale, etiam latum a Synodis speciali forma adprobatis, quaelibet praescriptio et consuetudo adhuc vigens, sive generalis sive particularis ita ut disciplina de religiosis,... unice iisdem canonibus regatur ... »: *M.p.* « *Postquam Apostolicis Litteris* », in: *A.A.S.* 44 (1952) 150.

regi non debent sine respectu ad Religionem, cuius sunt partes, neque Religio, ex eo quod aliquam suam partem iuxta ritum orientalem constituit et ordinavit, damnum pati debet; quod tamen saepe contingeret, si in casu ius orientale absolute et sine temperatione domibus istis applicaretur. Quare legislator quamdam voluit principii generalis temperationem, duas statuendo exceptiones, quibus illud principium generale restringitur.

Exceptio 1ª. — « *Salvis praescriptis statutorum quae internum regimen Religionis respiciunt* ». Oppositio fit inter regimen internum et regimen externum Religionis. Quod ad regimen externum domus, applicatur integre ius orientale, nisi aliunde, ut ex dicendis constabit, aliqua quoque exceptio sit admittenda. Quoad regimen internum domus, salvantur praescripta statutorum, quibus illud regimen internum moderatur; seu aliis verbis, regimen internum Religionis, ob adscriptionem alicuius vel plurium domorum ritui orientali, nullam patitur modificationem, et domus orientalis interne eodem iure et eodem modo ac ceterae domus latinae regitur. Huius praescripti ratio eruitur ex necessitate vitandi duplicitatem regiminis interni in sinu eiusdem Religionis; haec enim duplicitas certe favere non posset unitati internae eiusdem Religionis, quae absolute et totis viribus est servanda et tuenda [4].

Quid vero venit nomine « Statutorum », et quid significat « Regimen internum et externum religionis »?

Statuta. — Statuta, de quibus loquitur can. 5, § 1, intelliguntur regulae, constitutiones, et in genere, omne ius quo Religio latina, ad quam pertinet domus orientalis, regitur. Breviter, sub hoc capite veniunt: a) Regulae et Constitutiones; b) Praescriptiones in *Codice iuris canonici* contentae, necnon ceterae post *Codicem* a Sancta Sede latae vel ferendae; c) Privilegia et indulta a Sancta Sede Religioni concessa; d) Consuetudines ad

---

4 Cf. A. Coussa, *Epitome praelectionum de Iure Ecclesiastico Orientali*, vol. II (Romae 1954) n. 40.

normam can. 5 *C.I.C.* adhuc legitime vigentes [5]. Ex complexu omnium istorum elementorum resultat ius particulare, quo religiosi qua tales et Religiones in proprium finem diriguntur et moderantur.

Regimen. — Regimen hic accipiendum est, non solum pro foro, neque pro personis quibus regimen Religionis vel domus peragitur, sed potius sensu adaequato, id est, quatenus complectitur sive personas quae Religionem vel domum gubernat, sive potissimum actus, quibus illud regimen resultat, seu quibus personae seu membra societatis ad proprium finem ducuntur.

Regimen autem Religionis vel domus dupliciter considerari potest, siquidem illi actus regiminis respicere possunt vel vitam mere internam societatis, vel etiam praeterea eiusdem societatis relationes ad extra eandem societatem. In primo casu habetur regimen internum, in altero regimen externum.

Facile igitur intelligitur quod regimen internum comprehendit ipsam internam Religionis constitutionem et ordinationem; omnes illos actus, quibus vita interna Religionis aut domus intra eandem evolvitur in ordine ad proprium finem assequendum. Consequenter, natura Religionis, eius structura iuridica et organica, constitutio Superiorum eorumque qualitates et potestas; admissio, receptio et institutio membrorum, eorumque obligationes et iura ad finem proprium Religionis, aliaque quam plurima ad regimen internum pertinent.

Regimen autem externum comprehendit activitatem Religionis vel domus quae ad extra ordinatur et terminat. Religio enim praeter illam vitam mere internam, quae in et intra Religionem ipsam evolvitur et perficitur, aliam vitam seu alias habet manifestationes vitae, quae ambitum internum Religionis transcendunt, et quae aut

---

[5] Cf. A. VERMEERSCH - I. CREUSEN, *Epitome iuris canonici* (Mechlin. - Romae [7] 1947 ss), I, n. 595; F. X. WERNZ - P. VIDAL, *Ius canonicum*, tom. III: *De Religiosis* (Romae 1933) n. 48. Quid olim, et quid nunc veniat nomine Regulae et Constitutionis, vide apud L. RAVASI, *De Regulis et Constitutionibus Religiosorum* (s. l. [Desclée] 1958, p. 9-14.

ex natura sua propria aut ex iuris dispositione relationes creant Religionis cum ambitu eidem Religioni extrinseco. Ordinatio vero harum relationum, harumque vitae manifestationum regimine mere interno obtineri non potest, et necessarius fit interventus auctoritatis ecclesiasticae Religioni externae. Huius generis sunt, praeter alia quamplurima, erectio vel suppressio domus religiosae, activitas apostolica quam Religio extra ipsam exsequitur, sive in institutione fidelium in scholis, sive in adsistentia infirmis praestanda, sive in audiendis confessionibus, aut in verbi Dei praedicatione. Huic generi accedunt omnes illi actus qui, etsi ad regimen internum proprie pertineant vel pertinere possent, tamen, ut legitime fiant, ex dispositione iuris interventum postulant auctoritatis ecclesiasticae Religioni externae, ut sunt plures actus qui ad administrationem vel alienationem bonorum temporalium se referunt, aut etiam ad dimissionem religiosi.

Regimen internum. — Consequenter ad ea quae modo praemissa sunt, etiam posita domus alicuius ritui orientali adscriptione, natura Religionis latinae non mutatur; eius structura iuridica et organica eadem manet sive in parte latina sive in parte orientali. Si Religio est Ordo vel Congregatio, eandem induit naturam etiam pro parte orientali. Ordinatio hierarchica, quae statuta est pro Religione in sua gubernatione latina, eadem prorsus valet et viget etiam pro domibus orientalibus. Constitutio Superiorum sive pro domibus latinis sive pro domibus orientalibus eodem modo iisdemque normis peragitur; sicut relate ad qualitates, quae in Superioribus postulantur, eadem est norma pro illis, qui domibus latinis, et pro illis, qui domibus orientalibus praesunt. Eademque est in utrisque potestas in subditos. Uno verbo, in iis dimetiendis et peragendis, non ad ius orientale est recurrendum, quando de domibus orientalibus agitur, sed potius et exclusive ad proprias Religionis Constitutiones et ad propria statuta quae in vigore erant ante constitutionem domorum orientalium, vel quae deinceps in Religione vigebunt.

Aliqua exempla afferre iuvabit. Potestas dominativa Superiorum et Capitulorum dimetienda est secundum proprias Constitutiones et secundum ius commune *C.I.C.* (*C.I.C.* can. 501, § 1); potestas vero iurisdictionis eorumdem Superiorum non est iudicanda secundum can. 26, § 2, n. 1 *M.p.*, sed secundum propria statuta aut secundum *C.I.C.* can. 501, § 1, ubi de potestate iurisdictionali in Superioribus Congregationis clericalis iuris pontificii silentium servatur, quae tamen agnoscitur pro Orientalibus in *M.p.* can. 26, § 2, n. 2. Qualitates in Superioribus maioribus aestimari debent ad normam praescripti can. 504 *C.I.C.* et statutorum Religionis. Ad durationem in munere quod attinet, in Superioribus maioribus attendendus est can. 505 *C.I.C.* et praeterea servanda sunt propria statuta; et quoad Superiores minores locales, qui iuxta can. 505 *C.I.C.*, ad tempus non ultra triennium constitui debent, nequit pro Superiore domus orientalis ad can. 32, § 3, n. 1, *M.p.* recurri, quo permittitur, ut Superior constituatur etiam ad sexennium; et eodem modo ad eorum re-electionem vel iteratam nominationem, non ad dictum can. 32, sed ad can. 505 *C.I.C.* vel ad propria statuta est attendendum. Electiones internae, cum ad vitam internam et ad regimen internum Religionis pertineant, moderandae sunt iuxta praescripta *C.I.C.* et statuta Religionis, salvo iure Ordinarii orientalis ad praesidentiam, ut infra dicetur. Ad regimen internum pertinet negotium de ratione conscientiae Superioribus a subditis reddendae, quod regitur vel can. 530 *C.I.C.*, qui aliunde, sicut in aliis casibus dici posset, cum can. 62 *M.p.* convenit, vel propriis statutis. Obligatio et duratio postulatus iudicandae sunt ad normam can. 539 ss *C.I.C.* quo etiam monasteria lege postulatus tenentur, non autem monasteria orientalia iuxta can. 71 *M.p.* Tempus durationis novitiatus erit quod in propriis statutis Religionis latinae definitur, et in iis condicionibus quae in iisdem statutis determinantur. Ius admittendi ad novitiatum et ad professionem exercetur secundum can. 543; 575, § 2 *C.I.C.*, non autem secundum can. 75; 111, § 2 *M.p.;* quare ad admissionem « pro sub-

sequenti professione perpetua, sollemni vel simplici» (can. 575, § 2 *C.I.C.*), sufficit et requiritur suffragium Consilii consultivum; non autem requiritur suffragium deliberativum, ut in iure orientali (can. 111, § 2 *M.p.*). In professione religiosa, sive quoad aetatem, sive quoad modum, et quoad admissionem aut eiusdem receptionem, standum est praescriptis propriae Religionis et canonibus *C.I.C.* (can. 572 ss). Ad dimissionem alicuius sodalis religiosi, servanda sunt propria statuta et praescripta *C.I.C.* in iis quae intra Religionem sunt perficienda; praescripta vero *M.p.* in iis quae extra ambitum Religionis sunt peragenda, ex. gr. per interventum Hierarchae loci, ut infra dicetur.

Haec omnia, et alia plura quae afferri possent, cum regimen internum et gubernationem internam Religionis respiciant, moderanda sunt eodem modo in domibus orientalibus ac in domibus latinis, id est, secundum ius proprium Religionis latinae.

Regimen externum. — In iis vero quae regimen externum spectant, servandae sunt normae in iure orientali statutae, non autem praescripta statutorum Religionis vel Codicis latini. Ipsum enim bonum commune et ratio pertinentiae domus ad ritum orientalem postulant, ut in regimine externo domus orientalis, salva interna Religionis unitate et integritate, servetur disciplina pro orientalibus praescripta, nisi aliunde a competenti auctoritate dispensetur. Quoniam observantiae disciplinae orientalis in regimine externo domus orientalis per se non obstat periculum duplicitatis regiminis, quod de regimine interno dictum est, nulla apparet ratio cur huiusmodi domus eximantur ab observantia iuris communis pro orientalibus religiosis statuti.

Quoties igitur activitas domus limites vitae mere internae transgrediatur, aut recursus fieri debeat ad Ordinarium loci vel in genere ad auctoritatem ecclesiasticam Religioni externam, domus nostra servare tenetur iuris orientalis praescripta. Et ille recursus faciendus est ad Hierarcham loci ritus orientalis, cui domus est adscripta, nisi ratione adiunctorum Ordinarius

loci competens sit Ordinarius latinus vel Ordinarius diversi ritus orientalis.

Actus vero qui partim ad regimen internum, partim ad externum pertinent, qua sunt interni, peragi debent iuxta ea quae in paragrapho praecedenti dicta sunt; qua vero sunt externi, iuxta ea quae modo sunt dicenda.

Ius orientale servandum est in erectione et suppressione domus, ac in conversione domus in alios usus (*M.p.* can. 7-20) (nisi agatur de conversione quae ad internum regimen et disciplinam religiosam dumtaxat referatur) et in iis quae interventum auctoritatis ecclesiasticae externae postulant. Dispositio autem de bonis domus suppressae, cum per se sit negotium internum Religionis, iuxta proprias Religionis leges est perficienda. Ad exstruendam et aperiendam scholam aut hospitium vel similis generis aedes separatas a domo religiosa, hoc negotium peragendum est ad normam can. 9, § 2, et can. 19, § 3 *M.p.* Relatio subiectionis domus erga Hierarchiam ecclesiasticam ordinatur secundum principia statuta in can. 24 *M.p.*, quae praesertim in patriarchatibus magni sunt momenti ob specialem dependentiam a Patriarcha. Praeesse comitiis eligendae Antistitae generalis alicuius Religionis latinae, sed quae in domo orientali locum habeant, competit, ut videtur, Hierarchae loci ritus orientalis cui domus subest, etsi in loco cumulativam potestatem habeat etiam Ordinarius latinus (*M.p.* can. 34, §§ 3. 4). Nam, etiam in iure latino competentia Ordinarii in ordine ad praesidentiam in istis comitiis determinatur ratione loci in quo comitia habentur; in nostro casu Ordinarius loci pro orientali domo est Hierarcha orientalis; et si agatur de Religione iuris dioecesani, eiusdem Hierarchae orientalis erit electionem confirmare aut rescindere, ad normam *M.p.* can. 34, § 4. Confessarii domus orientalis, quoties facultates a proprio Superiore non habent, eas obtinere debent a Hierarcha loci orientalis, cuius est etiam, si casus ferat, eos designare et approbare(*M.p.* can. 50-61). Ad visitationem quod attinet domus, eam facere tenetur Hierarcha loci orientalis, et

quidem ad normam *M.p.* can. 43-44, non exclusa paragrapho 3 canonis 44, vi cuius « Hierarcha loci debet omnes domos religiosas iuris pontificii aut patriarchalis sive clericales sive laicales exemptas vel non exemptas, visitare, si Superior maior, ad quem visitatio iure competit, post quinque annos eas non visitaverit, et, monitus ab Hierarcha loci, eas visitare neglexerit ».

Praescripta de bonis temporalibus in can. 65-67 *M.p.* contenta, quoties interventum auctoritatis ecclesiasticae postulant, praeferenda sunt canonibus 533-534 *C.I.C.*, ac proinde licentia vel consensus, de quibus ibi agitur, praestandi sunt a Patriarcha vel a Hierarcha loci, pro diversitate adiunctorum. Possunt tamen dari casus, in quibus sufficiens videtur consensus Ordinarii latini, ex. gr. si dotes professarum ad domum orientalem pertinentium custodiantur et administrentur omnes simul ab Antistita suprema vel provinciali, satis erit, ni fallimur, si Superiorissa religiosa in iis actibus ponendis servet canones 533, § 1, n. 2, et 549 *C.I.C.*: nam per observantiam horum canonum satis obtinetur finis a Legislatore intentus, et simul maior habetur uniformitas in iis bonis administrandis. Ratio praeterea huius administrationis reddenda erit Ordinario loci cui competat ius visitandi domum in qua Antistita, quae illam administrationem gerit, moratur; in casu nostro, ex hypothesi, Ordinarius competens est Ordinarius latinus.

Relatio de statu Religionis a supremo Moderatore Sanctae Sedi saltem quinto quoque anno reddenda est, ad normam can. 510 *C.I.C.*, necnon ad normam decreti « *Cum, transactis* » a S. Congregatione de Religiosis, die 9 Iul 1947 dati [6]. Satis est si ista relatio ad S. Congregationem de Religiosis temporibus statutis transmittatur, vel ad S. Congregationem de Propaganda Fide, si agatur de Religione huic Congregationi subiecta. Attamen, idem supremus Moderator obligatione tenetur simul S. Congregationem pro Ecclesia Orientali certiorem reddendi de statu domus vel domorum ritus orien-

---

[6] *A.A.S.* 40 (1948) 378-381.

talis, siquidem huiusmodi domus, ratione ritus, ad competentiam spectant huius S. Congregationis Orientalis [7].

Ut domus novitiatus erigatur, requiritur licentia auctoritatis ecclesiasticae, quae diversa est pro diversis casibus (Vd. can. 554 *C.I.C.* et 87 *M.p.*). Notanda tamen est differentia quae inter can. 554 *C.I.C.* et can. 87 *M.p.* intercedit. Nam *C.I.C.* can. 554 duas tantum distinguit classes Religionum: Religiones iuris pontificii, quae ad erigendum novitiatum, licentia indigent Sanctae Sedis; et Religiones iuris dioecesani, de quibus tamen canon expresse non loquitur, sed subintelliguntur. Can. 87 *M.p.* autem, praeter Ordines cum exemptione pontificia et Congregationes iuris pontificii, memorat Ordines Patriarchae subiectos et Congregationes iuris patriarchalis, et tandem Congregationes iuris eparchialis seu diocesani. Iuxta hanc divisionem determinatur auctoritas competens ad licentiam in casu concedendam. Quoniam, vero, inter latinos non habentur Ordines Patriarchae subiecti, cum omnes exemptione pontificia gaudeant (*C.I.C.* can. 615); neque Congregationes iuris patriarchalis, quia omnes latinae Congregationes sunt vel iuris pontificii vel iuris dioecesani, et per constitutionem domus ritus orientalis natura et condicio iuridica Religionis latinae non mutantur, sequitur quod, ut erigatur novitiatus orientalis in Religione latina, numquam recurrendum erit ad Patriarcham qua talem: nam necessaria erit et sufficiens vel licentia Sedis Apostolicae, vel licentia Hierarchae loci orientalis in quo domus in novitiatum erigenda invenitur.

Litterae dimissoriae ad sacram ordinationem mitti debent a Superiore religioso ad Ordinarium loci orientalem, ad normam can. 132, § 1 *M.p.*, nisi ordinandus ad ritum a ritu Ordinarii diversum pertineat, et in hoc

---

[7] Cf. *M.p.* « *Cleri sanctitati* », can. 195, § 1, n. 1. Similis praescriptio habetur in eodem *M.p.*, can. 406: « Episcopi, latini quoque ritus, Sacram Congregationem pro Ecclesia Orientali doceant, occasione relationis quinquennalis, de statu et necessitatibus coetuum fidelium diversi orientalis ritus in suo territorio commorantium, et Hierarcha sui ritus carentium ».

casu Superior litteras mittere potest ad alium Episcopum, ad normam can. 133, *M.p.*

Lex de clausura, cum haec non sit negotium mere internum, sed etiam regimen externum afficiat, moderanda est non secundum praescripta *C.I.C.* (can. 597-605) una cum Constitutione Apostolica « *Sponsa Christi* »[8] et Instructione « *Inter praeclara* » a S. Cgr. de Religiosis die 23 Nov. 1950 data[9], sed secundum normas in *M.p.* can. 140-151 statutas.

Regimen domus religiosae orientalis, quae sit simul paroecia, moderandum est secundum can. 155 *M.p.*, et quoad religiosum qui paroeciam regit, servandi sunt can. 179-181 eiusdem *M.p.* In hac re prae oculis habendae sunt quoque dispositiones quae continentur in *M.p.* « *Cleri sanctitati* » can. 489. 490. 491. 492. 494. 497, et in genere quae ibidem de parocho deque eius iuribus et obligationibus statuta sunt.

Quoties Ordinarius loci ob causam publicam, preces aliquas vel sacra sollemnia indicit, religiosi omnes, etiam exempti, obedire debent, salvis statutis et privilegiis suae cuiusque Religionis (*M.p.* can. 159, § 1), et si Ordinarius loci praeceperit ut diebus festis de praecepto in omnibus ecclesiis vel oratoriis publicis, fidelibus adstantibus brevis Sancti Evangelii aut alicuius articuli doctrinae christianae explanatio fiat, hac lege tenentur etiam religiosi, exempti quoque, in suis ipsorum ecclesiis (*loc. cit.*, § 2). Ordinarius loci vero pro nostra domo, de quo in praesenti canone agitur, est Ordinarius loci orientalis, et quidem eiusdem ritus, nisi ratione adiunctorum nomine Ordinarii loci veniat potius Ordinarius latinus vel alius ritus orientalis.

Ad stipem petendam, religiosi domus nostrae orientalis stare debent praescriptis can. 171-173 *M.p.*, salvis quae infra de privilegiis mendicantium sunt dicenda.

Transitus religiosi ab una ad aliam Religionem, cum sit negotium iuridicum quod vitam mere internam Reli-

---

8 PIUS XII, Const. Apost. « *Sponsa Christi* », 21 Nov. 1950, in: *A.A.S.* 43 (1951) 5-21.

9 *A.A.S.* 43 (1951) 37-44.

gionis transcendit, peragendus est ad normam iuris in *M.p.* statuti, nempe ad normam canonum 182 ss. Sodalem vero Congregationis iuris dioecesani solis votis temporariis professum dimittere potest, iuxta can. 647, § 1 *C.I.C.*, Ordinarius loci in quo religiosa domus sita est; quodsi religiosus iste dimittendus pertineat ad domum ritui orientali adscriptam, Ordinarius loci in casu est Ordinarius orientalis ritus (*M.p.* can. 199, § 1, n. 3; § 2, n. 3); quodsi de muliere agatur dimittenda, Ordinarius loci vi can. 199, § 3, n. 5 *M.p.*, tenetur servare canonem 194, § 2, *M.p.*: « Si religiosa sine dote recepta fuerit nec ex propriis bonis sibimet providere valeat, Religio ex caritate eidem dare debet ea quae requiruntur ut modo tuto ac convenienti domum redeat, ac providere ut, naturali aequitate servata, per aliquod tempus, mutuo consensu vel in casu dissensus, ab Hierarcha loci determinandum, honeste vivere possit ». Idem valet pro casibus in *C.I.C.* can. 650 § 2, n. 1: 652, § 1; et in *M.p.* can. 203, § 2, n. 1, et 205, § 1, n. 1, consideratis.

Quo pacto erit procedendum, si agatur de dimittenda moniali in monasterio orientali dependenti a monasterio latino sui iuris? Dimissio monialis, sive agatur de moniali cum votis tantum temporariis, sive de moniali cum votis perpetuis, per se tractanda est in monasterio a quo monasterium orientale, in quo degit monialis dimittenda, dependet: monialis enim quae huic monasterio dependenti praeest proprie non est Antistita. Superiorissa ergo monasterii sui iuris cum suo Consilio fidem de causis dimissionis scripto faciat (*C.I.C.* can. 647, 1; 652, § 2), idque communicet, non cum Ordinario loci in quo situm est monasterium sui iuris, sed potius cum Ordinario loci in quo situm est monasterium dependens, et ad quod pertinet monialis dimittenda (*M.p.* can. 199, § 2, n. 1; 205, § 1): quam, si professione temporaria adstricta sit, ipse Hierarcha loci dimittere potest (*M.p.* can. 199, § 2, n. 1); si vero monialis professionem perpetuam iam emiserit, Hierarchae loci est causas dimissionis expendere, et rem totam cum omnibus actis et documentis deferre ad Sanctam Sedem, id est, ad S. Con-

gregationem pro Ecclesia Orientali, memor quod quoties obligatione tenetur mittendi dimissionis acta ad S. Sedem ad normam praedicti can. 205, § 2 *M.p.*, actis et documentis suum addere debet suffragium (*loc. cit.*, § 4).

Ad dimittendum vero monachum cum votis sollemnibus professum et ad monasterium dependens pertinentem, omnia peragenda sunt ad normam canonum *C.I.C.* 654 ss., et confirmatio sententiae a tribunali latae obtineri debet a S. Congregatione pro Ecclesia Orientali [10]. Idem valet pro ceteris casibus in *C.I.C.* can. 654 ss contemplatis.

Exceptio 2ª — « *Salvis privilegiis suae Religioni a Sede Apostolica concessis* ». Facta adscriptione domus Religionis latinae ritui orientali, « non apparet ratio, ob quam domus vel provincia de quibus in praesenti paragrapho debeant amittere, ob susceptum orientalem ritum, privilegia Religioni concessa » [11]. Merito quidem, cum privilegia Religioni concessa sint, praeter alias causas, ut ipsa Religio facilius et efficacius proprium finem assequi valeat. Nec iustum videtur, quod Religio latina, eo quod, menti et optatis Sedis Apostolicae obsecundans, aliquas sui ipsius partes ritui orientali adscripsit, et quidem in adiutorium Orientalis Ecclesiae, aliquam diminutionem patiatur, et quidem in re tanti momenti, ut esse possunt illa privilegia a Sancta Sede Religioni elargita. Immo, amissio istorum privilegiorum, nedum faveret, obstaret constitutioni partis orientalis in sinu Religionis latinae, siquidem ex tali amissione privilegiorum incommoda non pauca nec parva, potissimum quoad regimen Religionis, facile sequerentur. Nihil igitur mirum, si Legislator huiusmodi privilegia salva voluerit, et expressa declaratione in hoc canone 5 contenta iusserit ea servari iisque frui, non solum a Religione in sua parte latina, et a domibus latinis, sed etiam a domibus ritui orientali adscriptis. Nec Legislatorem latebat oppositio

---

10 Cf. *C.I.C.* can. 666 una cum can. 257, § 1, et *M.p.* « *Cleri sanctitati* », can. 195, § 1.

11 Coussa, *op. supra nt. 4 cit.*, n. 40.

quae non raro inter ista privilegia et iuris orientalis praescripta habebitur; scienter tamen, ut omnia componeret, maluit gratias Religioni concessas sustinere, quam eas per rigorosam iuris impositionem auferre.

Quaenam sunt privilegia quae in nostro can. 5 praeservantur? *Codex Iuris Canonici* de privilegiis Religionum haec habet: « 1 Quaelibet Religio iis tantum privilegiis gaudet, quae vel hoc in Codice continentur, vel a Sede Apostolica directe eidem concessa fuerint, exclusa in posterum qualibet communicatione » (Can. 613, 1). Triplex igitur est species privilegiorum quibus fruuntur Religiones latinae: a) privilegia quae in *Codice Iuris Canonici* continentur; b) quae a Sede Apostolica directe Religioni concessa fuerint, et c) quae per communicationem ante Codicem promulgatum obtinuerant.

Privilegia in *Codice Iuris Canonici* contenta communia sunt cum omnibus aut cum pluribus Religionibus, et concessa sunt per legem generalem, nec probatione indigent [12]. Privilegia vero a Sede Apostolica directe alicui Religioni concessa, sunt privilegia particularia et concessa non per legem generalem, sed per legem particularem aut per per peculiarem actum eiusdem Sanctae Sedis [13]. Utraque privilegia, sive quae in Codice continentur, sive quae directe a Sancta Sede alicui Religioni fuerint concessa, sunt privilegia ab Apostolica Sede elargita, diverso tamen modo, et diversa via: alia per legem communem, alia per legem particularem aut actum peculiarem, singularem et specialem. Privilegia igitur utriusque speciei a canone 5 *M.p.* praeservantur, ut constat ex generali et ampla locutione in eodem canone usurpata.

Quod ad privilegia per communicationem ante promulgatum Codicem legitime acquisita et possessa, nec a competenti auctoritate revocata, hodie certum est ea pri-

---

12 Cf. A. VAN HOVE, *De privilegiis et dispensationibus* (Mechlin.-Romae 1939) n. 66; A. CICOGNANI - D. STAFFA, *Commentarium ad Librum Primum C.I.C.* (Romae 1942), p. 476; G. MICHIELS, *Normae generales iuris canonici* (Paris-Tournai-Romae 1949) II, p. 539.

13 A. VAN HOVE, *op. cit.*, n. 67; MICHIELS, *op. cit.*, p. 540.

vilegia legitime possideri a Religione [14], eaque consequenter etiam in canone nostro 5 *M.p.* praeservari; certum est etiam communicationem in posterum non esse fontem privilegiorum.

Praeservanturne etiam privilegia per consuetudinem vel per praescriptionem post *C.I.C.* acquisita vel acquirenda? Difficultas provenit ex modo loquendi in can. 613, § 1 *C.I.C.* adhibito, e quo nonnulli auctores id eruere voluerunt, nempe, can. 613 § 1 excludere privilegia per consuetudinem vel praescriptionem acquisita, seu post Codicem Religiones iam non posse istis modis nova privilegia acquirere. Vermeersch arguere videtur ex silentio dum scribit: « Etsi c. 63 triplicem modum acquirendi privilegia agnoscit, i. e. directam concessionem, communicationem, consuetudinem aut praescriptionem, Codex, c. 613 consuetudinem silentio praeteriens, excludit in posterum communicationem privilegiorum, et religionibus ea sola privilegia agnoscit quae vel Codice continentur, vel quae a S. Sede directe concessa fuerint » [15]. Alii, ut Santamaria, a Larraona citatus [16], difficultatem faciunt ex voce « directe », qua excluderetur consuetudo et etiam praescriptio. Ait enim Santamaria: « El entender pro concesión directa la adquisición por costumbre o por prescripción, como entiende el P. Vidal, es tomar las palabras fuera de su significación propia contra lo que previene el c. 18 ».

Contra hanc sententiam afferre licet communiorem sententiam auctorum, qui asserunt etiam consuetudinem et praescriptionem esse fontes privilegiorum pro Religionibus [17], merito quidem, cum ex silentio canonis

---

14 Cf. Pontificia Commissio, 30 Dec. 1937: *A.A.S.* 30 (1938) 73: haec responsio, iuxta communiorem sententiam data, controversiam in hac re diremit.

15 Vermeersch-Creusen, *Epitome iuris canonici,* I, n. 770.

16 Larraona, in: *Commentarium pro Religiosis* 3 (1922) p. 207.

17 Cf. ex. gr. Wernz-Vidal, *De Religiosis,* n. 388, III; T. Schäfer, *De Religiosis* (Romae [4]1947), n. 386; E.F. Regatillo, *Interpretatio et Iurisprudentia Codicis iuris canonici* (Santander 1949), n. 276; Michiels, *Normae generales,* II, p. 554; F. Cappello, *Summa iuris canonici* (Romae [4]1945) II, n. 623; A. Lar-

nullum solidum fundamentum habeatur, quo cogamur excludere Religiones a participatione canonis 63 quatenus consuetudinem et praescriptionem inter modos acquirendi privilegia recenset: nullibi enim constat hos duos modos pro Religionibus esse abrogatos.

Illis vero qui consuetudinem et praescriptionem in nostro casu reiiciunt, tamquam si hi modi non comprehenderentur voce « directe », respondere possumus vocem « directe » non afficere consuetudinem vel praescriptionem, sed solam communicationem. Re quidem vera, omnes auctores hanc vocem explicant per oppositionem ad communicationem, et hanc communicationem exclusam in posterum intendunt, eo quod in ea non habeatur directa concessio. Etenim Legislator non vult ut in posterum Religiones privilegia acquirant nisi per directam concessionem a Sancta Sede factam, ita ut quilibet intermediarius excludatur et ut privilegia in posterum concedantur sine respectu ad privilegium alteri concessum, ut accidebat in communicatione, in qua privilegium non directe a Sancta Sede, sed mediante aliquo privilegiario et servato respectu ad privilegium huic concessum acquirebatur. Hic modus certe excluditur in can. 613, seu excluditur concessio indirecta et per intermediarium.

Consuetudo vero et praescriptio dici non possunt concessiones indirectae, cum sint directae; nam, in privilegio per consuetudinem vel praescriptionem acquisito relatio habetur directa et immediata inter concedentem et acquirentem: hic ponit actus in lege requisitos, ille consensum, et quidem quocumque alio intermediario ex-

---

RAONA, in: *Commentarium pro Religiosis* 3 (1922) p. 207; A. TABERA, *Derecho de los religiosos* (Madrid [3]1957) n. 321, nota 1, ubi tamen sive consuetudo sive praescriptio, sine ullo fundamento, fontes extraordinarii dicuntur; VAN HOVE, *De privilegiis*, n. 71, ubi in nota 4 haec habentur: « Nullum fundamentum habet doctrina quae tenet religiosos non posse acquirere privilegia consuetudine vel praescriptione. Can. 613, § 1, statuendo quamlibet religionem iis tantum privilegiis gaudere quae vel in hoc Codice continentur vel a Sede Apostolica directe eidem concessa fuerint, non intendit derogare principio generali statuto in can. 63, § 1 ».

cluso, et nullo respectu ad aliud privilegium alii personae concessum habito.

Iis vero breviter praemissis, ad consuetudinem quod attinet, notum est eam in Ecclesia vim legis unice a consensu Superioris ecclesiastici competentis obtinere (*C.I.C.*, can. 25), cuius consensus non necessario esse debet specialis et per actum formalem alicui usui datus, cum sufficiat consensus generalis, qui dicitur legalis, et continetur lege qua in universum consuetudines determinatis qualitatibus instructae, ratae a iure habentur [18]. Superior vero ecclesiasticus, cuius requiritur consensus, est Romanus Pontifex, quoties de consuetudine agitur universali vel particulari contra ius commune, aut de consuetudine universali praeter ius commune: solus enim Romanus Pontifex est supra ius commune, et ipse solus potest universam obligare Ecclesiam [19]. Privilegia igitur, per consuetudinem Religioni acquisita, in casu nostro, non alium auctorem agnoscunt praeter Romanum Pontificem. Cum can. 5 *M.p.* nullam faciat distinctionem quoad modum, quo illa privilegia Religioni a Sancta Sede concedantur vel concessa fuerint, et simpliciter praeservet privilegia Religioni a Sancta Sede concessa, sequitur quod etiam privilegia contra vel praeter ius commune per consuetudinem acquisita salva manent.

Quod dictum est de privilegiis per consuetudinem acquisita, dici debet quoque et eadem ratione de privilegiis quae fundantur in praescriptione [20].

Notatu dignum est discrimen, et quidem magni momenti, adesse inter primam et alteram exceptionem. Etenim prima exceptio, quae ad statuta Religionis refertur, restringitur ad ea quae regimen internum Religionis seu domus respiciunt; in altera, qua privilegia praeser-

---

18 Cf. CICOGNANI-STAFFA, *op. cit.*, p. 41; WERNZ-VIDAL, *Normae generales*, n. 234; MICHIELS, *op. cit.*, p. 43 s.

19 WERNZ-VIDAL, *op. cit.*, n. 234; CICOGNANI-STAFFA, *op. cit.*, p. 43; MICHIELS, *op. cit.*, p. 45 s., 525 s.

20 WERNZ-VIDAL, *De Religiosis*, n. 388; CICOGNANI-STAFFA, *op. cit.*, p. 483; REGATILLO, *Interpretatio et Iurisprudentia*, p. 195; LARRAONA, in: *Comment. pro Relig.* 3 (1922) p. 207.

vantur, nulla facta distinctione inter regimen internum et externum, privilegia modo generali salvantur, sive regimen internum, sive etiam externum respiciant.

Non est infitiandum, quod ex hucusque dictis exceptionibus, peculiaris creatur figura domus religiosae orientalis, quae, etsi sit ritus orientalis, in pluribus tamen non iure orientali, sed iure latino regitur. In quo quis facile videre posset veram contradictionem cum principio generali in eodem canone statuto. Ex consideratione tamen peculiaris condicionis domus religiosae de qua hic est quaestio, facile explicari potest illa contradictio: non enim est domus ista ceteris domibus religiosis orientalibus quoad omnia aequiparanda, cum in ea vinculum quoddam exsistat intimum et essentiale cum integra Religione, quae latina, non orientalis, est; ea est membrum et pars unius eiusdemque Religionis latinae, nec conveniens est ut differentia inter domos latinas et orientales eiusdem Religionis nimis extollatur, ut necessario accideret, si domus quaedam Religionis latinae, quia est orientali ritui adscripta, tractaretur tamquam pure orientalis, sine relatione ad Religionem cuius est membrum, et inde privaretur illis iisdem privilegiis, quibus ceterae domus eiusdem Religionis, quia latinae permanserunt, fruuntur.

Nihil aliud restat, nisi ut aliqua exempla, ad privilegia quod attinet, referamus.

Privilegium exemptionis, sive iure communi (*C.I.C.*, can. 615), sive per peculiarem actum ad normam can. 618, § 1 *C.I.C.* alicui Religioni concessum, integrum manet, etiamsi Religio eiusdem condicionis in iure orientali exemptione non gaudeat: v. gr. Congregatio clericalis ad normam can. 618, § 1 *C.I.C.*, exemptionis privilegio donata, eadem exemptione gaudet etiam in eius parte orientali, non obstante can. 162 *M.p.*, vi cuius Congregationes exemptionis privilegio ab Hierarcha loci non gaudent, nisi specialiter eisdem fuerit concessum. Omnes Ordines latini pontificia exemptione gaudent; in iure autem orientali, haberi possunt Ordines iuris quidem pontificii, et pontificia exemptione non praediti, et

sola exemptione patriarchali donati (*M.p.*, can. 163, § 1): exemptio vero pontificia quae convenit Ordini latino, extenditur quoque ad domos orientales eiusdem Ordinis. Sustinetur quoque privilegium, si fortasse habeatur, vi cuius Ordinarius loci nequit ecclesiam religiosorum, non obstante can. 44, § 2, n. 2 *M.p.*, visitare. Praeservatur privilegium, si habeatur, vi cuius Magister novitiorum, contra praescriptum can. 100, § 3 *M.p.*, etiam eorundem ordinarius confessarius esse possit, aut etiam quo Superiores, non obstante prohibitione *M.p.* can. 62, § 1, rationem conscientiae a suis subditis exigere valeant. Etiam in parte orientali religiosi fruuntur privilegio, Religioni fortasse concesso, emittendi professionem perpetuam immediate post novitiatum, non obstante praescripto can. 106, § 2 *M.p.;* suscipiendi ordinem presbyteratus etiam non incepto quarto anno cursus theologici, etiamsi in iure orientali aliud praescribatur [21], aut etiam suscipiendi sacros subdiaconatus, diaconatus et presbyteratus ordines interstitiis in iure orientali praescriptis non servatis. Regulares latini, qui ex instituto mendicantes sunt, eleemosynas in dioecesi, ubi eorum religiosa domus est constituta, quaerere valent de sola Superiorum suorum licentia (*C.I.C.*, can. 621, § 1): idem privilegium viget et sustinetur pro religiosis in domo orientali, etsi, iuxta ius commune omnes religiosi licentia indigent scripta Hierarchae loci in quo eleemosynas colligere cupiunt (*M.p.*, can. 171, § 2). Ut hoc privilegium recte intelligatur, sciendum est ius orientale non cognoscere religiosos ex instituto mendicantes [22]. Privilegium etiam permanet, si habeatur, dimittendi religiosum in Religione clericali exempta solis votis perpetuis simplicibus adstrictum processu iudiciali non instituto, qui tamen requiritur in *M.p.* can. 206, sicut etiam in *C.I.C. can.* 654.

---

21 Cf. S. CONGREG. *pro* ECCLESIA ORIENTALI, *Decretum de Seminario a Sancta Anna pro Melchitis*, 15 Maii 1929, in: *A.A.S.* 21 (1929) 670-674, ubi praescriptum est: « tandem Sacer Presbyteratus Ordo nulli conferatur ante quartum theologici cursus annum completum ».

22 Cf. C. PUJOL, *De Religiosis orientalibus ad normam vigentis iuris* (Romae 1957) n. 407.

ANIMADVERSIO. — Post ea quae dicta sunt, nihil aliud restat animadvertendum, nisi quod in iis quae propria sunt Ritus, v. gr. ieiunia abstinentiae, dies festi, administratio Sacramentorum, etc., domus orientalis servare tenetur praescripta illius ritus, cui ipsa est adscripta, cum in hac re valeat principium generale de ritibus non permiscendis [23], quod implicitam confirmationem habet in norma generali in canone 5 *M.p.* statuta de obligatione servandi ius pro Orientalibus religiosis constitutum, et in genere quae sunt propria Ritus, nisi exceptio facta sit. Etenim, adscriptio alicui ritui secumfert per se plenam subiectionem disciplinae in Ritu vigenti, et in potestate subditi non est se ab illa subiectione eximere, ut alia lege se gubernet.

Fieri tamen potest ut competens auctoritas, ob rationes maioris momenti, vel ob peculiaria loci vel personarum adiuncta, aliquam relaxationem principii generalis aliquando inducat, sicut factum est pro religiosis, ut ex dictis constat. Quoniam vero huiusmodi relaxatio est aliquid odiosum, non est extendenda ultra limites ab auctoritate definitos, et potius strictae interpretationi est subiicienda. In casu autem nostro, can. 5 *M.p.* optime explicari potest, ac proinde etiam debet, quin in illis exceptionibus supra declaratis comprehendantur illa quae Ritus sunt propria.

In celebratione, igitur, divinae Liturgiae, in administratione Sacramentorum aliorumque sacrorum actione, idque etsi fideles diversi ritus sub administratione habeat, sacrorum ministrorum suum unusquisque accurate servet ritum [24]. In ieiuniis et abstinentiis servandis, orientales fideles omnes, religiosis non exclusis, proprii Ritus legibus tenentur, quod minime obstat quominus religiosis, iis quae sunt Ritus servatis, nova ieiunia et novae abstinentiae vi Constitutionum imponantur, v. gr. si in propriis Constitutionibus carnes perpetuo vetantur. Dies festi quoque sunt qui iuxta Kalendarium et

---

[23] Cf. COUSSA, *Op. cit.*, I (1948) n. 32, et II (1954) n. 40.

[24] Cf. *M.p.* « *Cleri sanctitati* », can. 2, § 1.

praescripta proprii Ritus vigent. Ad divinum Officium publice persolvendum quod attinet, domus orientalis, de qua hucusque fuit quaestio, eatenus obligatur, quatenus in statutis propriae Religionis illud onus imponitur (*M.p.* can. 157); impositae vero obligationi satis faciendum est per divini Officii celebrationem iuxta leges liturgicas proprii Ritus orientalis.

Providae supremi Legislatoris dispositiones, quas in hac nostra dissertatione consideravimus, stimulus sint quo omnes religiosi suam propriam vocationem magis in dies aestiment, illamque fructuum ubertatem afferre studeant, quos Ecclesia a fideli iuris pro religiosis constituti observantia ad maiorem Servatoris Christi gloriam in eiusque mystici Corporis aedificationem merito sperat.

Clemens Pujol, S. I.

DE IURISDICTIONE AD AUDIENDAS CONFESSIONES IUXTA CONSTITUTIONES PRIMAE ROMANAE SYNODI

In Constitutionibus Primae Synodi Romanae, specialem attentionem merentur leges circa iurisdictionem ad audiendas confessiones. In eis enim Legislator, dum media sufficientia adhibet ad vigilandum et evitandum ne sacerdotes non idonei ministerium exerceant audiendi confessiones, quam maxime urget et quam maximas curat dare facilitates ut omnes sacerdotes de quorum idoneitate sufficienter constat, sive Romae commorentur sive adventitii sint, iurisdictione ad excipiendas confessiones in dioecesi Romana sint instructi.

Non raro audiuntur querimoniae ex parte sacerdotum contra leges Codicis iuris canonici delegationem iurisdictionis ad audiendas confessiones regulantes, quas iudicant nimis rigorosas ac parum circumstantiis modernis accommodatas.

Nemo est qui ignoret aliquas non leves exsurgere difficultates practicas in iure Codicis, ex eo praesertim quod in illo absolute applicetur ad iurisdictionem delegatam principium territorialitatis et ad facultatem delegandi principium unicitatis delegantis intra unumquodque territorium dioecesanum.

Iurisdictio delegata in iure Codicis est stricte territorialis. Extra territorium delegantis prorsus exstinguitur, ita ut ne in subditos quidem Ordinarii delegantis exerceri possit. Ordinarius ipse personaliter potest sua iurisdictione ordinaria suorum subditorum confessiones ubique terrarum excipere, sed non potest aliis sacerdotibus, ne propriis quidem subditis, iurisdictionem delegare ut eorum confessiones audiant, nisi intra proprium territorium. Difficultas huius configurationis acute sentitur in casu v. gr. alicuius peregrinationis dioecesanae,

quae fiat in territorium extradioecesanum, praesertim si fiat in exteras nationes diversae linguae. Quamvis enim plures intersint sacerdotes eiusdem dioecesis, non possunt peregrinorum confessiones excipere nisi iurisdictionem obtinuerint ab illo Ordinario loci ubi confessiones audiendae sunt. Ordinarius loci originis, quamvis et sacerdotes et fideles peregrinationis sint subditi proprii, nihil quoad delegationem iurisdictionis potest facere extra limites proprii territorii.

Nec huic difficultati sufficienter occurritur, ut patet, per iurisdictionem a iure, vi can. 883, delegatam durante itinere maritimo, et per extensionem eiusdem ad itinera aëria vi motu proprio Pii XII, « *Animarum studio* », 16 decembris 1957 [1].

Ex alia parte, difficultates ortae ex principio territorialitatis absolute applicati, prout fit in iure Codicis, augentur ex eo quod non minus absolute applicetur principium unicitatis delegantis intra unumquodque territorium dioecesanum. Vi huius principii, iuxta ius Codicis, nemo potest *iurisdictione delegata* excipere confessionem ullam, nisi *delegatione facta ab Ordinario illius loci ubi confessio instituitur*. Ab hoc principio excipiuntur solummodo confessiones eorum fidelium, qui Superiorem habent iurisdictione ordinaria *personali* praeditum. Hi fideles (practice non attendendi in hoc problemate, data eorum paucitate numerica) sunt unici qui possunt absolvi iurisdictione delegata proveniente ab alio Superiore qui non sit Ordinarius loci ubi confessio fit. Ceteri omnes absolvi possunt tantummodo vel iurisdictione ordinaria vel iurisdictione delegata ab Ordinario loci ubi confitentur. Omnes igitur sacerdotes qui iurisdictione ordinaria non gaudeant, cuiuscumque sint dignitatis, quaecumque sit ratio ob quam versentur in territorio dioecesano, ut possint excipere vel unam tantum confessionem, recurrere ad Ordinarium loci tenentur ad iurisdictionem obtinendam, nisi Ordinarius

---

1 *A.A.S.* 40 (1948) 17.

per normas aliquas generales faciliorem modum concedendi iurisdictionem stabilire dignetur.

Hanc difficultatem experiuntur speciali modo illi sacerdotes (numerosiores in dies, datis adiunctis culturalibus hodiernis atque facilitate itinerum), qui saepe ab una in aliam transeunt dioecesim, itemque parochi, qui, utpote facultate delegandi carentes, tenentur recurrere ad Curiam quoties sacerdotem extradioecesanum ad aliquod ministerium vocaverint. Nec raro accidit ut in paroecia aliquis sacerdos incidentaliter inveniatur, qui optime posset iuvare in ministerio audiendi confessiones, sed quia caret iurisdictione nec parochus illam potest delegare, abstinere cogitur ab hac collaboratione praestanda.

Sed ius Codicis, quod adeo absolute et rigorose applicat duo principia supra memorata, amplissimam et fere omnimodam in deleganda iurisdictione Ordinariis locorum concedit libertatem, quoad modum, tempus, condiciones etc. delegandi. Hinc est quod stantibus et fideliter servatis illis duobus principiis iuris Codicis, maximae advertantur differentiae inter diversas dioeceses vel, melius, inter diversas regiones vel nationes quoad delegationem iurisdictionis ad audiendas confessiones, iuxta mentalitatem cuiusque populi Ordinariorum, a quibus tandem aliquando totum negotium pendet. Ita v. gr. sunt nationes, in quibus sufficit ut quis iurisdictionem habeat in una dioecesi, ut ipso facto, ex mutua pactione Ordinariorum, habeat in omnibus. In aliis vero nationibus, ne inter Ordinarios quidem dioecesium finitimarum huiusmodi pactio viget. Pariter sunt regiones in quibus omnes Ordinarii amplissime elargiuntur Superioribus religiosis facultatem concedendi propriis subditis, saltem adventitiis, iurisdictionem ad audiendas confessiones in dioecesi. In aliis vero regionibus, id non faciunt Ordinarii nisi valde moderate et non sine quadam diffidentia.

In Constitutionibus Synodi Romanae pulchrum praebetur exemplum de amplissimo usu huius libertatis

qua gaudet Ordinarius loci in concedenda iurisdictione delegata, itemque ostenditur in eis quomodo Ordinarius loci possit, servato undequaque iure Codicis, fere plene satisfacere exigentiis temporis hodierni, elargiendo iurisdictionem sub diversis formis secundum adiuncta concreta propriae dioecesis, ita ut, re vera, vitato ut par est in re adeo gravi omni periculo abusus, et quam maxime in sacerdotibus foveatur ministerium audiendi confessiones, et quam maximae praebeantur facilitates omnibus fidelibus actu in dioecesi versantibus ad confessionem instituendam cum sacerdote quem maluerint.

Bene enim notandum est Romanum Pontificem in articulis Constitutionum Synodalium iurisdictionem delegatam regulantibus, nihil derogare iuri communi, si excipias aliquid omnino huic instituto extrinsecum, nempe quod omnibus sacerdotibus Romae commorantibus obligatio imponitur sibi procurandi iurisdictionem (art. 47), et quod illi qui in Vicariatu Urbis examen subierint non possunt ab ullo Ordinario adigi ad aliud examen subeundum (art. 72). In aliis omnibus, Romanus Pontifex servat adamussim ius commune, et procedit ut simplex Ordinarius loci. Normas quas statuit Ipse circa iurisdictionem ad audiendas confessiones pro dioecesi Romana, posset statuere pro suo territorio quilibet Ordinarius loci. Immo nemo est qui ignoret speciales esse in dioecesi Romana rationes, quae exigunt — data ingenti in Urbem confluentia sacerdotum ob diversissimas causas undique provenientium — diligentiorem quam in ceteris dioecesibus vigilantiam, ne sacerdotes extranei non idonei excipiant confessiones. Hinc explicantur aliquae normae libertatis restrictivae, quae in aliis dioecesibus superfluae essent, quaeque primo aspectu non videntur cohaerere cum spiritu pastorali qui vivificat omnes Constitutiones Synodi Romanae, praesertim illas quae sacramentum paenitentiae respiciunt.

In hoc studio intendimus analysim exegeticam instituere Constitutionum Synodi Romanae, quae normas circa concessionem et exercitium iurisdictionis delegatae ad

audiendas confessiones statuunt. Ex hoc iam patet, nos prae oculis habere imprimis illos sacerdotes qui in dioecesi Romana commorantur. Sed cum nonnullae ex his legibus sacerdotes respiciant Romam peregrinantes vel quacumque de causa in Urbe ad tempus versantes qui quidem ex toto Orbe Catholico plurimi singulis annis numerantur, etiam his utile esse putamus, possibilitatem offerre harum legum cognitionem sibi comparandi. Denique ex interpretatione exegetica, clarius patebit configuratio iuridica, aliquando satis subtilis, quam Synodus Romana dat concessioni et exercitio iurisdictionis delegatae. Quod quidem tum Ordinariorum loci tum iuris canonici studiosorum interesse potest.

Claritatis causa, ita procedimus: Unicuique articulo Constitutionum Synodalium ad rem spectanti, praemittimus epigraphum, quae argumentum articuli indicet. Tunc textum integrum articuli transcribimus, quo facilius sensus legis percipiatur. Denique commentarium articuli iuxta diversas paragraphos si paragraphis constat, adiungimus, declarantes ea quae videntur declaratione aliqua indigere ad pleniorem et faciliorem eorum intelligentiam.

Ut complementum materiae, addimus per modum appendicis sine ullo commentario, articulos qui normas statuunt circa designationem confessariorum religiosarum (art. 187-191), atque etiam articulos capitis *De Confessione peccatorum* (lib. 2, part. 2, tit. 5, cap. 1), ubi pretiosissima consilia pastoralia traduntur circa administrationem sacramenti paenitentiae (art. 432-448). Ita simul collecta hic invenientur omnia quae in Constitutionibus Synodalibus aliquo modo ad ministrum sacramenti paenitentiae spectant [2].

---

[2] Constitutiones Synodales, praemissis normis praeviis (art. 1-18), dividuntur in tres libros: I, *De personis* (art. 19-220); II, *De Actione Pastorali* (art. 221-709); III, *De bonis ecclesiasticis* (art. 710-755). Sacramenta ponuntur in libro II, parte II. Normae vero de iurisdictione ad audiendas confessiones non inveniuntur in titulo *De Paenitentia,* secus ac fit in Codice Iuris Canonici, sed in libro I, *De personis,* parte I, *De clero romano,* sectione I, *De*

1. De obligatione sibi comparandi iurisdictionem.

47

§ 1. Sacerdotes omnes in Urbe commorantes, cuilibet dioecesi vel religioni adscripti, cuiuslibet aetatis, nationis, ritus, quodcumque obeunt munus, quocumque titulo in Urbe degunt, gravi obligatione astringuntur intra annum ab hac Synodo promulgata, sua sponte, suisve proximis Moderatoribus auditis, curandi, ut facultatem impetrent sacramentales Confessiones audiendi et verbum Dei praedicandi, secundum normas in artt. 64, 73, 74 statutas.

§ 2. Ad superiorem normam quod spectat, sacerdotes in Urbe commorantes ii intelleguntur, qui, saltem ad unum annum Sacris litandi facultatem obtinuerint, et religiosi, qui a suis Moderatoribus licentiam assecuti sint in Urbe unum saltem annum commorandi.

§ 3. Eadem norma tenentur omnes et singuli sacerdotes, qui vel stabiliter, vel ad tempus in Urbe degunt, intra annum ab inita commoratione.

§ 4. Superiores religiosi, quibus ius est (can. 874, § 2) Cardinali Vicario suos subditos praesentandi, ut facultatem assequantur audiendi Confessiones et concionandi, eosdem, vi huius synodalis legis, praesententintra praestitutos terminos.

§ 5. Praescripta, de quibus in superioribus paragraphis, obligationem in primis respiciunt sacerdotum saecularium et religiosorum facultatem sibi compa-

---

clero romano generatim. In hac sectione agitur de iurisdictione ad audiendas confessiones in duobus capitibus: In cap. V, *De obligatione sacri muneris obeundi,* habetur articulus 47, in quo statuitur obligatio generalis ut omnes sacerdotes Romae commorantes sibi procurent iurisdictionem ad excipiendas confessiones. In cap. VIII, *De facultate audiendi sacramentales confessiones,* normae praecisae statuuntur circa concessionem et exercitium iurisdictionis delegatae.

randi, ut confessiones audire et verbum Dei praedicare valeant: earumdem vero facultatum usus artt. 63-74 regitur.

Ad § 1. Legislator vult ut omnes prorsus sacerdotes in Urbe commorantes iurisdictione ad excipiendas confessiones sint praediti. Tenor legis talis est, ut nulli exceptioni relinquatur locus. Ne tamen ansa detur abusibus, non illam concedit ipso iure, sed obligationem omnibus imponit ut servatis de iure servandis, unusquisque sibi illam impetrare curet.

Cum Legislator in hoc casu sit Romanus Pontifex, non potest moveri quaestio obvia de competentia Ordinarii loci ad talem obligationem imponendam etiam sacerdotibus non propriis ratione incardinationis in dioecesi. Romanus Pontifex derogat in hoc casu, si opus est, legibus iuris communis regulantibus relationes inter Ordinarium loci et sacerdotes non proprios in dioecesi commorantes. Quod vero in Constitutionibus Synodi Romanae locum habere possint derogationes iuri communi, clare patet ex art. 3, § 2, in quo statuitur haec norma: « Si quid de generalibus Ecclesiae legibus vel de privilegiis et exemptionibus hac Synodo immutatur aut emendatur, in Romana tantum dioecesi vim habet, nisi aliud expresse caveatur ».

Mens Legislatoris imponendi obligationem per se gravem videtur indubia. Expresse enim dicitur *gravi obligatione astringuntur.* Patet tamen posse dari rationes excusantes ab hac obligatione, v. gr. in casu sacerdotis aegroti et prorsus impediti, cum petitio iurisdictionis esset omnino inutilis.

Synodus promulgata est die 28 iunii. Ab illo ergo die incipit decurrere annus, intra quem satisfaciendum est obligationi impetrandi iurisdictionem.

Ad § 2. Explicatur sensus clausulae « *Sacerdotes in Urbe commorantes* » paragraphi superioris, determinando tempus minimum aliasque condiciones requisitas, ut sacerdotes, quoad hunc effectum iuridicum, habeantur *in*

Urbe commorantes. Duplex criterium adhibetur: aliud pro sacerdotibus saecularibus, aliud pro religiosis.

Sacerdotes saeculares ii intelleguntur *in Urbe commorantes,* qui saltem ad annum facultatem celebrandi Missam obtinuerint. De obligatione sibi procurandi facultatem Missam celebrandi, agit art. 59, § 1, qui sic sonat: « Sacerdotes dioecesani omnesque Romae legitime commorantes, licentiam litandi apud Vicariatus Urbis Officia sibi quaerere debent, quae singulis trienniis renovabitur, si certo constabit sacerdotem ea omnia rite perfecisse quae de sacris Exercitationibus et de facultate Confessiones audiendi et verbum Dei praedicandi statuta sunt ».

Sacerdotes religiosi ii *in Urbe commorantes* reputantur, qui a suis Moderatoribus licentiam assecuti sint in Urbe unum saltem annum commorandi.

Ad § 3. Si statuitur comparatio inter duas paragraphos praecedentes et hanc tertiam, patet, etsi textus non sit satis clarus, in prima et secunda agi de sacerdotibus qui die quo *promulgata est Synodus Romana* (28 iunii), in Urbe degebant, sive stabiliter sive ad tempus ultra annum; in paragrapho vero tertia attendi ad illos sacerdotes qui, post promulgationem Synodi, Romam venturi sunt ut in Urbe sive stabiliter sive ad tempus ultra annum degant. Cum enim in paragrapho prima obligatio imponatur impetrandi iurisdictionem « *intra annum ab hac Synodo promulgata* » sufficienter indicatur agi de sacerdotibus qui tempore promulgationis Synodi in Urbe morabantur. In paragrapho tertia, e contra, imponitur obligatio iurisdictionem impetrandi « *intra annum ab inita commoratione* ». Ergo quamvis in hac paragrapho adhibeatur verbum « *degunt* », quod indicare videretur agi de sacerdotibus qui iam Romae degebant die promulgationis Synodi, ex oppositione cum paragrapho prima et ex clausula « intra annum ab inita commoratione », videtur deduci posse agi de norma stabili respiciente sacerdotes qui in posterum a die promulgationis Romam venturi sunt, ut in Urbe degant.

Tempus minimum commorationis in Urbe ut exsurgat obligatio impetrandi iurisdictionem ad audiendas confessiones, debet protrahi unum saltem annum integrum. Secus non est obligatio iuridica sibi procurandi iurisdictionem.

Ad § 4. In hac paragrapho urgetur obligatio Superiorum, quibus ius est praesentandi subditos Ordinario loci ad facultatem audiendi confessiones obtinendam, iuxta can. 874, § 2, ut praesentationem faciant intra terminos in paragraphis superioribus praestitutos, id est, intra annum a Synodo promulgata pro illis religiosis qui tempore promulgationis Romae degebant cum licentia in Urbe unum saltem annum permanendi, vel intra annum ab inita commoratione sub iisdem condicionibus pro illis religiosis qui post promulgationem Synodi Romam venturi sunt. Haec obligatio Superiorum, etsi expresse non indicaretur, eodem modo subsisteret, positis obligatione subditorum impetrandi iurisdictionem iuxta paragraphos superiores, et praescripto canonis 874, § 2: « Locorum Ordinarii iurisdictionem ad audiendas confessiones habitualiter ne concedant religiosis qui a proprio Superiore non praesentantur; iis vero qui a proprio Superiore praesentantur, sine gravi causa eam ne denegent ».

Ad § 5. Haec paragraphus est declaratio ordinis, quem sequitur Legislator in hac materia disponenda. Nihil iuris continet. Claritatis causa, indicatur in paragraphis superioribus huius articuli agi de obligatione impetrandi iurisdictionem audiendi confessiones; normas vero circa concessionem et usum iurisdictionis exponi in art. 63-74.

2. Generalia circa facultatem audiendi Confessiones in Urbe.

63

§ 1. Facultas audiendi sacramentales Confessiones in territorio Romanae dioecesis a Cardinali Vicario vel a Vicesgerente, sive per se, sive per Vicariatus Officium, datur.

§ 2. Quae facultas, si per litteras postulata et data fuerit, ad universum Romanae dioecesis territorium pertinet, nisi forte quidquam per easdem litteras exceptum, interdictum vel circumscriptum fuerit, et salvo iure exclusivo, quo poenitentiarii quattuor basilicarum patriarchalium gaudent, ad proprias sedes confessionales in iisdem basilicis, et consensu habito legitimorum Antistitum iis locis, quae Cardinalis Vicarii iurisdictioni non sunt obnoxia.

§ 3. In Romana dioecesi non habentur reservationes ab Ordinario statutae, nec quoad peccata, nec quoad censuras, si excipiantur ea quae in hac Synodo decreta sunt de sacerdotum dolose in Urbe commorantium temporaria sacris interdictione (art. 51, § 4), et ea quae in can. 2247, §§ 2 et 3, de censuris « ab homine » statuuntur.

Ad § 1. *De concedente iurisdictionem in dioecesi Romana.* Haec paragraphus determinat quinam possint concedere iurisdictionem ad audiendas confessiones in dioecesi Romana. Nullam continet difficultatem. Tum Cardinalis Vicarius tum Vicesgerens habent iurisdictionem ordinariam etsi vicariam (art. 12 et 13), quam delegare possunt sive per se sive per alium (can. 199, § 1). Concrete declaratur Cardinalem Vicarium et Vicesgerentem concedere iurisdictionem sive per se sive per Vicariatus Officium.

Ad § 2. *De extensione iurisdictionis concessae.* Iurisdictio concessa, nisi aliud expresse in formula conces-

sionis dicatur, valet pro toto territorio dioecesis Romanae. Patet hoc principium generale intelligi debere iuxta normas iuris communis. Illi ergo qui facultatem audiendi confessiones a Cardinali Vicario vel a Vicesgerente vel o Vicariatus Officio obtinent, possunt intra territorium dioecesis excipere confessiones quorumlibet fidelium, etiam peregrinorum et vagorum, exceptis religiosis feminis, pro quibus ad normam can. 876 peculiaris iurisdictio requiritur.

Duae praescriptiones sunt servandae:

1ª. *Servandum est ius exclusivum quo paenitentiarii quattuor basilicarum patriarchalium gaudent ad proprias sedes confessionales in iisdem basilicis.*

Nemini ergo licet excipere confessiones in hisce sedibus confessionalibus.

Potest quaeri utrum tantum illicitae an etiam invalidae essent confessiones quae exciperentur in his sedibus, non servato iure exclusivo paenitentiariorum. Attento tenore legis, videtur affirmandum clausulam « *et salvo iure exclusivo* etc., supponere alios confessarios non habere iurisdictionem in illis sedibus. Clausulae enim praecedentes agunt non de exercitio, sed de extensione iurisdictionis, ad territorium quod attinet, intra fines territoriales dioecesis.

2ª. *Ad audiendas confessiones in locis quae Cardinalis Vicarii iurisdictioni non sunt obnoxia, requiritur consensus legitimorum Antistitum eorum locorum.*

Legislator non enumerat loca quae intra limites periphericos dioecesis Romanae Cardinalis Vicarii iurisdictioni non sunt obnoxia, sed adhibet clausulam generalem, quae semper applicari poterit, etiamsi labente tempore mutationes circa condicionem iuridicam aliquorum locorum inducantur, sive quia aliqua loca exempta, Cardinalis Vicarii iurisdictioni submittantur, sive quia alia non exempta ab eius iurisdictione subducantur.

Quod attinet ad loca iurisdictioni Cardinalis Vicarii non obnoxia, in Constitutionibus Synodalibus mentio fit tantummodo de Civitate Vaticana et de Basilica et Canonica S.ti Petri.

Per Constitutionem Apostolicam Pii XI « *Ex Lateranensi Pacto* » (cf. *A.A.S.* 21 [1929] 309-311), Civitas Vaticana subtracta est a iurisdictione Cardinalis Vicarii, et posita sub iurisdictione Vicarii Generalis a Summo Pontifice constituti. Hoc regimen conservatur post Synodum Romanam : « In Civitatis Vaticanae territorio iurisdictionem exercet Vicarius Generalis pro eodem territorio a Romano Pontifice constitutus, ad normam Constitutionis Apost, « *Ex Lateranensi Pacto* » (art. 11, § 3). Sed hoc non obstante, Civitas Vaticana pertinet ad territorium dioecesis Romanae, ut patet ex § 1 huius art. : « Romanae dioecesis fines complectuntur territorium Vicariatus Urbis et Civitatis Vaticanae ».

Ad excipiendas igitur confessiones in territorio Civitatis Vaticanae, requiritur, ad normam art. quem commentamur, consensus Vicarii Generalis Summi Pontificis pro eodem territorio.

Intra territorium Civitatis Vaticanae est Basilica et Canonica S.ti Petri., quae « iuxta veteres earumdem Constitutiones adhuc vigentes, a Cardinali Archipresbytero reguntur » (art. 11, § 3). Haec igitur loca non Vicarii Generalis Summi Pontificis pro Civitate Vaticana, sed Cardinalis Archipresbyteri Basilicae S.ti Petri iurisdictioni sunt obnoxia [3]. Ergo ad audiendas confessiones in his locis opus est consensu Cardinalis Archipresbyteri, utpote eorumdem legitimi Antistitis.

Animadvertendum est alias tres Basilicas Patriarchales, non esse exemptas a iurisdictione Cardinalis Vicarii, etsi amplissimis unaquaeque gaudeat privilegiis.

---

[3] Cf. R. Bidagor, *De iurisdictione Cardinalis Archipresbyteri Basilicae Vaticanae,* in: *Periodica* 48 (Miscellanea F. Cappello; 1959) 267-297.

Hic etiam movetur quaestio, utrum *consensus* legitimi Antistitis, de quo in hac paragrapho, requiratur ad validitatem confessionis an tantum ad liceitatem.

Nobis videtur in hoc loco terminus *consensus* aequivalere termino *licentia,* qui saepe in *Codice I. C.* agendo de iurisdictione delegata adhibetur (cf. c. 874. 877. 878. 880). Licentia vero numquam afficit validitatem confessionis, sed tantum liceitatem.

Si ita est, sacerdos iurisdictione in dioecesi Romana rite instructus, ad excipiendas confessiones in aliquo loco iurisdictioni Cardinalis Vicario non obnoxio, invenitur in positione iuridica simili atque illa sacerdotis religiosi qui iurisdictionem obtinuerit ab Ordinario loci. Iuxta can. 874, § 1, hanc iurisdictionem exercere licite non potest « sine licentia saltem praesumpta sui Superioris ». Obligatio vero obtinendi licentiam (consensum) Superioris non afficit validitatem exercitii iurisdictionis iam obtentae.

Re quidem vera, si consensus de quo in art. 63, § 3 afficeret validitatem confessionis, haberetur quid insolitum in legibus iurisdictionem ad audiendas confessiones regulantibus. Numquam enim validum exercitium iurisdictionis dependet a consensu alius Superioris diversi a Superiore concedente iurisdictionem. Ut talis structura admittatur, debet clare constare hanc esse voluntatem Legislatoris, quod quidem in textu huius paragraphi minime constat.

Hac de causa, donec Commissio Interpretum aliud declaret, nullum dubium est confessiones in loco exempto a iurisdictione Cardinalis Vicarii auditas a confessario iurisdictione pro dioecesi Romae rite instructo, esse validas quamvis illas exceperit sine consensu legitimi Antistitis illius loci. Iurisdictionem, si opus esset, suppleret Ecclesia vi can. 209.

Clausula illa condicionalis « *si per litteras postulata et data fuerit* », quae ponitur initio paragraphi, nullam exclusivam significationem videtur habere. Patet enim eamdem normam applicandam esse ad interpretandam extensionem facultatis concessae, si haec non per litteras,

sed oraliter postulata et data fuerit. Nisi aliud expresse in verbis petitionis vel concessionis caveatur, iurisdictio valet pro toto territorio dioecesis et pro omnibus fidelibus, exceptis religiosis feminis.

Ad § 3. *De reservatis in dioecesi Romana.* Declaratur explicite in dioecesi Romae nullam esse reservationem ab Ordinario loci statutam, nec quoad peccata nec quoad censuras. Unica exceptio est *suspensio a divinis* reservata Cardinali Vicario, quae statuitur in art. 51, § 4, contra sacerdotem « qui per hebdomadam ab expleto [Romae permanendi] facultatis tempore in Urbis finibus dolose permanserit ».

3. De examine subeundo.

64

§ 1. Ad obtinendam facultatem in Urbe Confessiones de more audiendi, imprimis necesse est, ut ad Cardinalem Vicarium petitio scripta mittatur et coram Apostolicis cleri Examinatoribus periculum fiat. Quo feliciter facto, facultas obtinetur « ad biennium ».

§ 2. Qui lauream doctoralem vel in sacra Theologia vel in re Biblica vel in Iure Canonico consecuti sunt, facultatem audiendi Confessiones, ut in superiore paragrapho statuitur, renovandam, sine periculo obtinere possunt.

§ 3. Qui autem putant sibi satis esse causarum cur e periculo eximantur, postulationem, opportunis instructam titulis, exhibere possunt, ad decreta Cardinalis Vicarii se conformantes.

Ad § 1. Synodus, ut *Codex I. C.* (c. 877), statuit examen ut medium ordinarium cognoscendi idoneitatem sacerdotis ad audiendas confessiones. In tribus paragraphis hanc delicatam materiam regulat. In prima statuit principium generale necessitatis examinis feliciter superati ut quis possit obtinere iurisdictionem. Duo gressus

sunt faciendi: a) Mittere petitionem scriptam ad Cardinalem Vicarium. b) Subire examen, die a Vicariatu designato, coram Apostolicis cleri Examinatoribus. Examine feliciter superato, facultas audiendi confessiones concedetur candidato « ad biennium ». Non obstante littera articuli, facultas non obtinetur ipso facto examinis feliciter superati, sed concedenda est per actum posteriorem.

Ad § 2. In hac paragrapho statuuntur aliquae exceptiones regulae generali propositae in superiore paragrapho. Possunt obtinere iurisdictionem sine examine. Doctores vel in sacra Theologiae vel in re Biblica vel in Iure Canonico. Enumeratio est taxativa et exclusiva.

Unicus effectus iuridicus tituli Doctoris in hac re est concessio possibilitatis obtinendi iurisdictionem sine praevio examine. Posita petitione facultatis ad audiendas confessiones, haec concedetur « ad biennium » tantum, sicut conceditur illis de quibus in § 1. Transacto hoc biennio, iterum renovanda erit, si sacerdos pergit Romae commorari.

Notandum est praeter sacerdotes qui vi huius paragraphi possunt obtinere iurisdictionem sine examine, esse alios qui ab eo eximuntur vi art. 69, de quibus infra agemus.

Ad § 3. In hac paragrapho, legitima praebetur possibilitas onus examinis effugiendi omnibus quibus sat sunt causarum ut ab hoc onere eximantur. Praescriptio stabilita in § 1, quae in sua generalitate, non obstantibus exceptionibus § 2, non potest non apparere rigorosa, mitigatur in hac tertia §, in qua omnibus quibus quacumque de causa v. gr. aetatis, temporis exercitii in ministerio audiendi confessiones, videatur rationes sufficientes habere ad exemptionem, facultas conceditur talem exemptionem postulandi.

Iudicium de sufficientia causarum ad exemptionem concedendam, relinquitur Cardinali Vicario, qui pro sua prudentia et benignitate videbit quid in unoquoque casu concreto oporteat facere.

Si comparationem instituimus inter hunc articulum et canonem 877 ubi eadem materia ordinatur, videmus tum in Codice tum in Synodo Romana praescribi examen ut normam generalem ad probandam idoneitatem candidati. Sed dum in Codice nullus titulus academicus eximit per se ab examine subeundo, in Synodo Romana taxative conceditur possibilitas obtinendi iurisdictionem sine examine Doctoribus vel in sacra Theologia vel in re Biblica vel in Iure Canonico, et praeterea illis de quibus in art. 69. In Codice permittitur ut examen omittatur si agitur de sacerdote « cuius theologicam doctrinam aliunde compertam habeant » Superiores. In Synodo Romana, clausula ad permittendam exemptionem ab examine est magis generalis et ampla, cum admittat causas excusantes cuiusvis generis. Lex ergo Synodi Romanae, in se considerata, est magis mitis et favorabilis sacerdotibus, quam lex Codicis.

4. De sacerdotibus Romam peregrinantibus.

65

Sacerdotibus omnibus, vel saecularibus vel religiosis, Romam cum fidelibus sive ducatus sive auxilii causa peregrinantibus, si conventibus praesint aut comitentur, qui eo spectent, ut iidem fideles Eucharisticam mensam aut per festa paschalia aut alio tempore frequentes participent, aliasve pietatis exercitationes peragant — uti sunt Stationes quadragesimales, publicae Sacramenti augusti per Quadraginta Horas supplicationes — vi huius synodalis legis sacramentales Confessiones audire licet, etiam in quattuor basilicis patriarchalibus, salvo praescripto art. 63, § 2. Quae facultas iisdem data et circumscripta limitibus intellegitur atque illa, qua sacerdotes in sua quisque dioecesi actu fruuntur.

Convenientia huius concessionis in dioecesi Romana patet, data frequentia peregrinationum quae ex toto

mundo et ex omni lingua Romam confluunt. Saepe huc usque accidebat ut multi peregrini etiam habentes secum sacerdotes eiusdem linguae in eadem peregrinatione, non possent confessionem peragere apud ipsos, utpote iurisdictione expertes. Nec semper facile eis erat, ut patet, alios sacerdotes eiusdem linguae adire. Haec lex synodalis provide his difficultatibus occurrit. Eius tamen textus specialem attentionem meretur, cum plures contineat clausulas, de quarum vi iuridica non pauca dubia suscitari possunt.

Sacerdotes quibus conceditur iurisdictio: Omnes, sive saeculares sive religiosi, qui Romam cum fidelibus peregrinantur, dummodo actu habeant iurisdictionem ad audiendas confessiones *in sua quisque dioecesi*. Non est necesse ut sacerdotes sint duces peregrinationis. Sufficit ut illam comitentur auxilii praestandi causa. De hoc nullum dubium est, cum expresse dicatur in textu legis. Videtur eamdem facultatem obtinere posse positis ponendis, illos sacerdotes qui sunt in peregrinatione ut simplices peregrini, quamvis non sint duces neque auxiliares proprie dicti. Isti enim sacerdotes, ex una parte sunt peregrini et ex alia bene considerari possunt ut auxiliares si eorum auxilium in excipiendis confessionibus requiratur ad bonum peregrinationis. Nulla ratio apparet cur isti sacerdotes, quorum opera est forte necessaria, excludantur a collaboratione in audiendis confessionibus praestanda illis sacerdotibus qui eiusdem peregrinationis ducatum habent vel auxilium in ea praestant. Cum lex ponit clausulam « cum fidelibus sive ducatus sive auxilii causa », non videtur velle excludere sacerdotes qui in eadem peregrinatione sunt ut simplices peregrini, sed omnes alios qui vel non sunt peregrini (sensu huius articuli), vel quamvis sint peregrini, non peregrinantur *cum fidelibus*. Hi certo non possunt obtinere facultatem audiendi confessiones vi huius articuli concessam.

Condiciones: Iurisdictio conceditur si sacerdotes praesint aut comitentur illis conventibus religiosis, qui

peragi solent occasione peregrinationis. Legislator exemplificative, ut clare patet ex textu legis, enumerat praecipuos ex his religiosis conventibus: Communionem, Stationes quadragesimales, Quadraginta Horas, alias quaslibet pietatis exercitationes.

Posita hac exemplificativa enumeratione, adeo ampla, circumstantiarum in quibus licet excipere confessiones sacerdotibus peregrinantibus, auderemus dicere, salvo meliori iudicio, sacerdotes peregrinantes posse confessiones fidelium secum peregrinantium excipere etiam extra functionem religiosam quamlibet. Huiusmodi enim confessiones fiunt tandem aliquando ratione peregrinationis et in relatione cum actibus religiosis peregrinationis. Praeterea condiciones istae circa functiones religiosas, non videntur poni tali urgentia ut ex illis pendeat concessio iurisdictionis sacerdotibus peregrinantibus. Potius videntur indicare adiuncta in quibus ordinarie illa iurisdictio exercebitur. Secus praebetur ansa magnis dubiis et anxietatibus, dato parum praeciso legis textu.

Locus: Licet audire confessiones peregrinantium in quocumque loco apto iuxta normas iuris communis (c. 908-910). Etiam in quattuor basilicis patriarchalibus, salvo tamen praescripto art. 63, § 2.

In hac vero paragrapho art. 63, ut supra vidimus, sunt duae praescriptiones. Prima spectat ad ius exclusivum quo paenitentiarii quattuor basilicarum patriarchalium gaudent ad proprias sedes confessionales. Secunda respicit necessitatem consensus legitimorum Antistitum iis in locis, quae Vardinalis Vicarii iurisdictioni non sunt obnoxia.

Clausula « salvo praescripto art. 63, § 2 », articuli quem commentamur, videtur referenda tantummodo ad primam praescriptionem, scilicet ad obligationem servandi ius exclusivum quo gaudent paenitentiarii ad proprias sedes confessionales. Sacerdotes ergo peregrinantes certo tenentur revereri hoc ius eodem modo ac ceteri alii confessarii. Sed videtur eos non teneri ad observandam secundam praescriptionem art. 63, § 2, quae imponit ne-

cessitatem consensus legitimorum Antistitum ad excipiendas confessiones iis in locis, quae a iurisdictione Cardinalis Vicarii sunt exempta.

Hoc certum est quoad basilicam S.ti Petri cum expresse dicatur in articulo 65, quod sacerdotibus peregrinantibus « vi huius synodalis legis sacramentales confessiones audire licet etiam in quattuor basilicis patriarchalibus ». Idem affirmandum videtur, ob analogiam, quoad alia loca quae iurisdictioni Cardinalis Vicari non sunt obnoxia, v. gr. quoad Civitatem Vaticanam vel Canonicam S.ti Petri (cf. quae supra diximus ad art. 63, § 2). Nota praeterea, ut supra indicavimus, tantum Basilicam S.ti Petri, non vero alias tres basilicas patriarchales esse exemptas a iurisdictione Cardinalis Vicarii. Ergo quamvis hic mentio fiat de *quattuor* basilicis patriarchalibus, citatio praescriptionis art. 63, § 2, in quantum hic articulus obligationem imponit habendi consensum legitimi Antistitis loci exempti, referri potest tantummodo ad basilicam S.ti Petri, non vero ad alias basilicas patriarchales.

Extensio Facultatis: Iurisdictio quam Romae sacerdotes peregrinantes vi huius articuli obtinent, est circumscripta iisdem limitibus atque illa, quam actu habent in propria dioecesi. Unde si sacerdos caret iurisdictione in propria dioecesi, non obtinet Romae facultatem excipiendi confessiones ratione peregrinationis.

Propria dioecesis hic intelligitur, pro sacerdote religioso illa in qua sita est domus religiosa ad quam pertinet. Pro sacerdote saeculari, illa quae propria dicitur ratione incardinationis vel ratione domicilii vel quasi-domicilii. Unde si sacerdos habeat plures dioeceses proprias, sufficit ad obtinendum beneficium huius legis, ut in qualibet earum habeat iurisdictionem. Limites quibus circumscripta erit iurisdictio Romae obtenta, erunt amplissimi omnium ex diversis dioecesibus in quibus iurisdictionem habeat.

5. Facultas in favorem religiosorum.

66

§ 1. Religiosi et qui viri cum ipsis vivunt, quotiescumque ad sacram Synaxim accedere cupiunt, peccata sua confiteri possunt cuilibet sacerdoti, qui praesens adsit sacri ministerii peragendi causa, nec ullo canonico impedimento correptus sit.

§ 2. Iisdem in rerum adiunctis religiosae et quae cum ipsis vivunt, peccata sua confiteri possunt cuilibet sacerdoti, qui praesens adsit sacri ministerii peragendi causa, dummodo actu polleat facultate audiendi Confessiones pro utroque sexu, a quovis Ordinario loci ipsi concessa.

§ 3. In iisdem rerum adiunctis, de quibus in superiore § 2, sacerdos Confessiones audire potest externarum quoque personarum, quae ad sedem confessionalem forte accedant.

Ad § 1. *De religiosis viris*: In favorem religiosorum, et virorum cum ipsis viventium Synodus concedit iurisdictionem cuilibet sacerdoti qui praesens adsit ministerii peragendi causa, nec ullo canonico impedimento sit correptus, a quo religiosi vel viri cum ipsis viventes petant ut eorum confessionem excipiat. Declaremus praecipua.

Personae in quorum favorem conceditur iurisdictio: Sunt imprimis religiosi omnes, sive Ordinis sive Congregationis religiosae. In hac materia, religiosis aequiparantur sodales societatum in communi viventium sine votis publicis (c. 675)[4]. Non vero membra Institutorum Saecularium.

Idem favor conceditur viris qui cum religiosis vivunt. Norma ad interpretandam hanc clausulam, desu-

---

[4] H. Rothoff, *Le droit des sociétés sans voeux*, Brugis 1949, p. 143.

menda videtur ex canon 514. Viri cum religiosis viventes intelleguntur igitur illi qui in domo religiosa diu noctuque degunt causa famulatus, aut educationis aut hospitii aut infirmae valetudinis.

Ex § 3 huius articuli deducendum videtur favorem hunc non extendi ad personas externas quae ad sedem confessionalem accedant, cum in § 3 tantum memoretur § 2, non vero § 1. Tamen non imponitur sacerdoti obligatio quaerendi locum quemdam proprium ad confessionem religiosorum excipiendam, ita ut externi accedere non possint, ut praescribitur in art. 67, § 2, cum agitur de confessione sacerdotum inter se.

Patet nihil impedire quominus plures religiosi et viri qui cum ipsis vivunt, immo omnes alicuius Communitatis sodales, servatis servandis, confessionem instituant apud confessarium occasionalem de quo in hac paragrapho; ius enim quod unicuique religioso et viro cum religiosis viventi conceditur, non exstinguitur vel minuitur ex eo quod alii religiosi et viri eiusdem domus confessionem apud eumdem confessarium instituant.

Sacerdotes quibus conceditur iurisdictio: Sunt omnes sacerdotes, dummodo ne sint ullo impedimento canonico correpti. Non requiritur ut sacerdos iurisdictionem habeat in propria dioecesi, ut requiritur in sacerdotibus peregrinantibus (art. 65), vel a quovis Ordinario loci concessam, ut exigitur in § 2 huius articuli ad confessiones religiosarum. Sufficit ut sit sacerdos *nullo impedimento canonico correptus*. Difficultas moveri potest circa interpretationem huius clausulae, cum valde generalis sit, nec sensum iuridicum praecisum habeat. Patet imprimis impedimentum canonicum versari debere circa confessiones excipiendas, non vero attendi impedimentum circa alias materias. Putamus « impedimentum » ita intellegendum esse ut non tantum includatur illud « impedimentum », vi cuius actus iurisdictionis est invalidus (cf. c. 2264 et 2284), sed etiam illud vi cuius actus est illicitus, ut sunt irregularitates (c. 983), interdictum (c. 2275), excommunicatio et suspensio ante sententiam condemnatoriam vel declaratoriam (c. 2261. 2264. 2284)

Condiciones: Dicitur in lege religiosos peccata sua confiteri posse « *quotiescumque ad sacram Synaxim accedere cupiunt* cuilibet sacerdoti qui *praesens adsit ministerii peragendi causa* ». Interpretatio verborum quae litteris cursivis exornamus est satis difficilis.

Primo aspectu videretur, posito textu legis, clausulam « quotiescumque ad sacram Synaxim accedere cupiunt », indicare condicionem sine qua non, ut sacerdos iurisdictionem obtineat. Sed omnibus perpensis, affirmandum videtur, iurisdictionem concedi etiamsi confessio instituatur non praecise quia paenitens accedere cupit ad sacram Synaxim. Non enim videtur verisimile Legislatorem velle ut concessio iurisdictionis dependeat a condicione adeo subiectiva et difficilis appretiationis, ut est intentio vel desiderium paenitentis accedendi ad sacram Communionem. Secus cogeretur sacerdos ante quam incipiat audire confessionem, certior fieri utrum confessio instituatur praecise intuitu accedendi ad sacram Synaxim, saltem quando confessio petatur extra functionem religiosam in qua non distribuatur sacra Communio. Ceterum — et haec est ratio potissima ad confirmandam sententiam expositam — nexus inter confessionem instituendam et sacram Communionem recipiendam non potest nimis stringi, secus ipsum factum petendi confessionem aequivaleret declarationi conscientiae peccati mortalis, cum tantum hic status conscientiae arceat a Communione. Sacerdos, ex alia parte, non tenetur quaerere a paenitente ante confessionem cur confiteri velit. Immo nec prudenter ageret generatim, si hoc quaereret.

Alia difficultas exsurgit ex verbis « *qui praesens adsit sacri ministerii peragendi causa* ». Non dicitur *ubinam* sacerdos praesens adesse debeat sacri ministerii causa, ut iurisdictio illi concedatur vi praesentis articuli. Agiturne tantum de praesentia *in domo religiosa* an etiam de praesentia in qualibet ecclesia, oratorio etc., dummodo sacerdos adsit sacri ministerii peragendi causa?

Est omnino clarum Legislatorem per concessionem huius iurisdictionis occasionalis providere velle illis ca-

sibus religiosorum et virorum cum religiosis viventium, qui in domo religiosa versantur et quibus difficile est copiam confessariorum habere eo quod libertate careant e domo religiosa exeundi nec facile possint, ex alia parte, a sacra Communione abstinere, non solum propter devotionem personalem, sed praesertim ob suspiciones, murmurationes etc., quae haud raro oriuntur in Communitate si aliquis religiosus ad sacram Synaxim non accedit. Praesentia, igitur, de qua in hoc articulo, videtur esse *praesentia in domo religiosa,* non vero aliis in locis, nisi forte agatur de aliquo loco extra domum religiosam, ubi Communitas, qua talis, v. gr. celebrandi causa aliquem actum religiosum, inveniatur.

Attento integro textu legis, praesertim § 3, eiusque fine, affirmandum videtur praeterea hunc esse unicum casum quem Legislator contemplatur et cui providere intendit in hac lege. Eo vel magis, quod si religiosus aliquis versatur extra domum religiosam et confessionem instituere voluerit, amplissime ei providetur per legem iuris communis de confessario occasionali, iuxta can. 519.

Nullibi indicatur quid veniat nomine *sacri ministerii.* Cum tamen agatur de re in qua interpretatio lata applicanda sit (c. 50. 66. 68), dicendum videtur sub hoc nomine comprehendi hic non tantum actiones liturgicas et quae dicuntur « pia exercitia » [5], sed etiam alia ministeria, ut praedicationem in ecclesia ad populum, exhortationes domesticas etc.

Ad § 2. *De religiosis feminis.* Haec paragraphus concedit similem favorem religiosis feminis et mulieribus quae cum ipsis vivunt. Posita expositione, quam fecimus paragraphi primae, pauca sunt notanda.

Condicio et quidem essentialis adiungitur hic, quae non invenitur in superiore §, scilicet ut sacerdos « actu

---

[5] Cf. *Instructio* S. C. Rituum *de musica sacra,* n. 1. (*A.A.S.* 50 [1958] 632).

polleat facultate audiendi confessiones pro utroque sexu a quovis Ordinario loci ipsi concessa ».

Incisum « *pro utroque sexu* » non ponitur ad significandum omnino requiri ut sacerdos habeat iurisdictionem et pro viris et pro mulieribus, sed ad indicandum non sufficere ut habeat pro viris tantum, sed requiri ut habeat pro mulieribus. Locutio enim « pro utroque sexu » cum de iurisdictione ad audiendas confessiones agitur, adhiberi solet ad significandam iurisdictionem pro mulieribus, cum haec non soleat concedi quin simul concedatur et pro viris.

Ad § 3. *De personis externis*: Extenditur idem favor ad personas « externas », scilicet ad illas quae neque sunt religiosae neque cum ipsis vivunt. Textus paragraphi locum dare posset interpretationi adeo amplae ut admitteretur sacerdotes qui praesentes sint sacri ministerii causa ad normam § 2, habere simpliciter facultatem ad eudiendas confessiones quorumlibet fidelium. Nulla enim clausula limitativa ponitur. Tamen haec interpretatio adoe lata non est admittenda. Dixerim personas externas non posse confessionem instituere apud sacerdotem de quo in hoc articulo, nisi ad sedem confessionalem accedant cum sacerdos iam confessionem alicuius religiosae vel mulieris cum religiosis viventis, exceperit. Praesupponuntur, praeterea, ut patet, omnes condiciones in paragrapho superiore requisitae ad valorem et liceitatem confessionis.

6. Iurisdictio in favorem sacerdotum.

67

§ 1. In territorio dioecesis Romanae sacerdotes omnes, etsi peregrini, peccata sua confiteri possunt apud quemlibet sacerdotem, nullo canonico impedimento correptum, qui quidem, si forte facultate audiendi Confessiones non polleat, eam assequitur vi huius synodalis legis.

§ 2. Quae facultas cum ad unum pertineat casum, qui in superiore § 1 memoratus est, ne alii ad sedem confessionalem accedant, oportet sacerdos proprio quodam loco Confessionem audiat.

Ad § 1. Lex non potest esse magis ampla, simplex et favorabilis. Quoad sacerdotem qui confessionem petit, nulla ponitur limitatio. Sufficit ut sit sacerdos. Quoad sacerdotem confessarium, unica condicio quae ponitur est ut nullo impedimento canonico sit correptus. Quid veniat nomine impedimenti canonici, supra explicatum est, art. 66, § 1.

Ad § 2. Cavetur ne occasione confessionis sacerdotis de quo in § 1, alii paenitentes non sacerdotes accedant ad confessionem instituendam. Facultas enim quae vi huius articuli conceditur spectat solummodo ad confessiones sacerdotum, ut expresse asseritur in § 2, ad omne dubium tollendum. Ad vitandas difficultates practicas quae ex hac limitatione exsurgere possunt, indicatur convenientia ut confessio instituatur in loco apto ad cavendum ne alii paenitentes accedant.

7. Facultas concedendi iurisdictionem.

68

§ 1. Antistites omnes maiores * ordinum vel congregationum clericalium, exemptorum vel non exemptorum, qui Romae commorantur, propriis subditis, in Urbe adventitiis, ab aliquo Ordinario loci ad audiendas Confessiones probatis, nec ullo canonico impedimento correptis, facultatem audiendi Confessiones, intra limites a praedicto Ordinario statutos, concedere possunt toto dioecesis territorio, non ultra octo integros dies, non computato die concessionis.

§ 2. Eadem potestas iisdem circumscripta limitibus Ordinario Castrensi eiusque Vicario Generali conceditur pro sacerdotibus sibi subiectis.

§ 3. Iisdem condicionibus, de quibus in superiore § 1, parochi, in propriae dumtaxat paroeciae territorio, facultatem Confessiones audiendi concedere possunt sacerdotibus peregrinis in Urbe, sive saecularibus sive religiosis, qui licentiam Romam petendi ibique Sacrum litandi obtinuerint, ad normam art. 51.

---

* Cf. can. 488, n. 8°.

In hoc articulo, Superioribus religiosis, Ordinario Castrensi et Parochis, facultas tribuitur concedendi iurisdictionem ad audiendas confessiones intra determinatos limites.

Ad § 1. *Superiores Religiosi*: Duae condiciones requiruntur ex parte Superioris religiosi ut possit concedere iurisdictionem de qua in praesenti articulo: 1) Ut sit « Antistes Maior » religionis clericalis. 2) Ut Romae commoretur.

Quinam veniant hic sub nomine « *Antistites maiores* », authentice declaratur in nota marginali, in qua ipse Legislator remittit ad canonem 488, n. 8°. Huiusmodi igitur sunt, « Abbas Primas, Abbas Superior Congregationis monasticae, Abbas monasterii sui iuris, licet ad monasticam Congregationem pertinentis, Supremus religionis Moderator, Superior provincialis, eorumdem Vicarii aliique ad instar provincialium potestatem habentes ».

In hoc articulo non attenditur exemptio. E contra, exigitur ut religio sit *clericalis*. Non potest igitur iurisdictionem concedere Superior Maior religionis laicalis, etsi ipse sit sacerdos, et religio sit exempta.

Altera condicio ex enumeratis est ut Superior Maior *Romae commoretur*. Quid vero sit *Romae commorari* nullibi dicitur. Tamen ad hunc effectum iuridicum quod attinet, nihil aliud requiri posse videtur ut Superior Romae commorari dicatur, quam quod suam residentiam (monasterium, curiam generalitiam vel provincialem etc.) intra limites dioecesis Romanae habeat.

Sacerdotes quibus Superiores religiosi possunt concedere iurisdictionem sunt solummodo sacerdotes subditi

« *adventitii* ». Hic terminus non habet sensum determinatum in iure canonico. Certo non aequivalet termino « *advenae* » definito in canone 91. Quoad hunc effectum iuridicum, attenta terminologia adhibita in toto hoc capite Synodi Romanae, dicendum est « *subditos adventitios* » eos esse qui non ultra annum in Urbe commorantur. Si enim ultra annum in urbe permanserint, tenentur impetrare iurisdictionem a Vicariatu, iuxta normam art. 47, § 3.

Ex parte sacerdotis adventitii, duae condiciones exiguntur ut possit obtinere iurisdictionem a suo Superiore Religioso: 1) Ut iurisdictionem habeat ad excipiendas confessiones ab aliquo Ordinario *loci* concessam. 2) Ut nullo impedimento canonico, sensu supra explicato (cfr. art. 66) sit correptus.

Terminus « *probati* » ad audiendas confessiones, quem adhibet articulus, significat procul dubio iurisdictionem habere. Hoc indubie demonstratur ex clausula « intra limites a praedicto Ordinario statutos », quae immediate sequitur. Non sufficit igitur ut religiosus *adventitius* examen ad audiendas confessiones feliciter superaverit in aliqua dioecesi, quamvis sensu amplissimo, dici possit « probatus » ad audiendas confessiones. Opus est ut actu iurisdictionem habeat in aliqua dioecesi ab aliquo Ordinario loci concessam. Secus deficit condicio essentialis ut Superior religiosus possit ei concedere iurisdictionem in dioecesi Romana, ad normam huius articuli.

Extensio iurisdictionis: *Quoad tempus,* Superiores Maiores possunt concedere iurisdictionem subditis adventitiis, non ultra octo integros dies, die concessionis non computato. *Quoad territorium,* nulla ponitur limitatio intra ambitum territorii dioecesis Romanae. Patet tamen servandum esse art. 63, § 2 de iure exclusivo, quo gaudent paenitentiarii quattuor basilicarum patriarchalium ad proprias sedes confessionales, et de consensu legitimorum Antistitum iis locis, quae Cardinalis Vicarii iurisdictioni non sunt obnoxia. *Quoad alias limitationes possibiles,* expresse dicit textus legis iurisdictionem, quam

possunt concedere Superiores Religiosi, contineri « intra limites a praedicto Ordinario statutos », scilicet non posse excedere limites iurisdictionis quam subditi adventitii habeant « ab aliquo Ordinario loci » concessam. Cum vero non raro accidat ut quis a pluribus Ordinariis locorum iurisdictionem habeat, patet iurisdictionem quam Romae obtinuerit a proprio Superiore religioso esse eiusdem extensionis atque illam quae amplissima sit omnium quas ex diversis Ordinariis locorum habuerit. Si ab aliquo Ordinario loci habet iurisdictionem sine ulla limitatione, etiam Romae sine limitatione ulla illam obtinebit, quamvis forte ab aliquo alio Ordinario loci iurisdictionem limitatam habeat. Ex alia parte, ut clarum est, Superior Religiosus non potest concedere iurisdictionem ad excipiendas confessiones religiosarum in dioecesi Romana, quamvis subditus adventitius hanc iurisdictionem habeat ab aliquo Ordinario loci pro sua dioecesi. Ad religiosas enim semper peculiaris facultas requiritur (c. 876).

Ad § 2. *Ordinarius Castrensis*: Posita explicatione paragraphi superioris, nihil est addendum. Iurisdictio enim quam potest concedere sacerdotibus « adventitiis » sibi subditis Ordinarius Castrensis, iisdem subest condicionibus iisdemque circumscribitur limitibus atque illa quam Superiores Religiosi suis subditis adventitiis elargiri possunt.

Agitur de Ordinario Castrensi de quo in art. 13 ss Concordati initi inter Sanctam Sedem et Statum Italicum die 11 februarii 1929 [6].

Ne detur locus dubiis, expresse asseritur eamdem facultatem competere Vicario Generali Ordinarii Castrensis.

Ad § 3. *Parochi*: Possunt concedere iurisdictionem pro territorio propriae paroeciae cuilibet sacerdoti adventitio, sub iisdem condicionibus iisdemque limitibus de quibus in § 1, dummodo sacerdos licentiam Romam petendi ibique sacrum litandi obtinuerit, ad normam art. 51.

---

[6] *A.A.S.* 21 (1929) 280.

Lex mentionem facit solummodo de parochis. Nihil dicit de aequiparatis, secus ac facit canon 873, § 1, cum recenset eos, qui iurisdictionem Ordinariam habent ad audiendas confessiones: « *parochi aliique qui loco parochi sunt* ». Tamen affirmandum est sine ullo dubio facultatem, de qua in hac paragrapho, competere etiam omnibus qui iuxta *Codicem I. C.* parochis aequiparantur. Agitur enim de facultate intuitu boni animarum concessa, nec clausula ulla exclusiva ponitur in lege, quae restringat illam ad parochos sensu stricto.

Facultas igitur concedendi iurisdictionem de qua in praesenti paragrapho, habent praeter parochos, omnes « vicarii paroeciales si plena potestate paroeciali sunt

Vicarius curatus, id est, ille qui paroeciam pleno iure alicui personae morali unitam regit (can. 471, § 1).

Vicarius oeconomus, i. e., ille, qui ab Ordinario loci constitutus paroeciam vacantem regit (can. 472, 1°).

Vicarius cooperator aut *parochus vicinior*, aut *Superior domus*, qui iuxta can. 472, 2°, ante nominationem vicarii oenonomi regimen paroeciae vacantis assumit.

Vicarius adiutor, qui ob aliquam causam permanentem — caecitatem, senium, imperitiam etc. — vices parochi *in omnibus* suppleat (can. 475).

Vicarius substitutus, qui parochi absentis locum tenet, ad normam can. 465, 474.

Ad designandos sacerdotes quibus iurisdictionem parochi concedere possunt, lex adhibet terminum « *peregrini* in Urbe », non vero « *adventitii* in Urbe », qui est terminus adhibitus in § 1 huius articuli. Tamen affirmari potest terminum « *peregrinus* » non habere hic sensum technicum canonis 96, neque significare sacerdotem *peregrinantem* de quo in art. 65. Habet sensum generalem comprehendentem omnes sacerdotes adventitios qui quacumque de causa Romae legitime versantur, nec tamen eorum commoratio in Urbe ultra unum annum protrahitur. Si enim commoratio ultra annum perduraret, tenerentur iurisdictionem a Vicariatu impetrare ad normam art. 47.

Ut parochus possit his sacerdotibus facultatem audiendi confessiones concedere, hi debent habere a propriis superioribus licentiam Romam petendi, et a Vicariatu licentiam in Urbe sacrum litandi, ad normam art. 51., cuius §§ 1 et 2 praescribunt:

§ 1. Sacerdotes saeculares et religiosi, qui in sui instituti domum hospitio recepti non fuerint, Romam, vel peregrinorum more vel pro commoratione ad tempus, petentes, infra triduum a suo adventu, Vicariatus Urbis Officiis testimonium scripto datum exhibere debent, ex quo constet iisdem a proprio Ordinario facultatem tributam esse a consueto habitationis loco discedendi.

§ 2. Vicariatus Urbis Officia curabunt, ut, documento, de quo supra, rite recognito, facultas scripto concedatur Romae commorandi ad tempus, quod non solum limites excedere non poterit in documento praestitutos, sed etiam cum normis a Sacra Congregatione Consistoriali datis, de quibus in art. 50, congruat oportebit.

Circa facultatem concedendi iurisdictionem, quam parochi vi huius synodalis legis obtinent, Commissio Interpretum die 28 nov. 1960, resolvit sequens dubium:

« An facultas audiendi confessiones, quae, certis in adiunctis certisque sub condicionibus a parochis concedi potest (cfr. art. 68), legitime conferatur sacerdotibus adventiciis qui, infra triduum a suo adventu, permissionem discedendi a consueto habitationis loco Vicariatui adhuc exhibere non potuerunt (verbigratia, quia ad tempus tam breve discesserunt ut scripto testimonio non indiguerint) vel de facto non exhibuerunt (cfr. art. 51).

Respondetur:

Affirmative, et ad mentem. Mens est quod facultas in themate debite concedatur, dummodo constet sacerdotes illos adventicios legitime — ad praescripta iuris e, si quae sint, constitutionum peculiarium suae dioecesis — discessisse a consueto habitationis loco: ea tamen

lege ut facultas ita obtenta ipso facto cesset post triduum ab adventu, in quocumque casu (nisi, uti par est, scriptum documentum Vicariatui subiici possit, ad normam art. 51)[7].

8. Personae privilegiatae.

69

§ 1. Ecclesiastici viri, qui sub § 2 huius articuli recensentur, periculum canonicum subire non tenentur ut audiendi Confessiones facultatem obtineat; qui vero a Cardinali Vicario hanc facultatem obtinuerint, tamdiu ea fruuntur, quamdiu sub eadem § 2 statuitur.

§ 2. Hi sunt:

1°. Episcopi, sive in Urbe residentes sive non residentes, qui hanc sibi datam facultatem in omne tempus obtinent;

2°. Romani Praelati, de quibus in art. 9, § 2 fit mentio, *durante munere*, vel cum emeriti renuntiati sunt;

3°. omnes Antistites, cum e clero saeculari tum e religiosis familiis, sive Romae degant sive extra, qui, etsi non sunt episcopali ornati dignitate, tamen in iure (can. 198) tamquam Ordinarii habentur: qui *durante munere* hac facultate in Urbe pollent;

4°. poenitentiarii quattuor basilicarum patriarchalium Romae exsistentium, *durante munere*;

5°. Praelati qui maioribus Vicariatus Urbis muneribus praesunt, Apostolici cleri Examinatores, Iudices Tribunalis Vicariatus Urbis, *durante munere*;

6°. rectores Romanorum seminariorum et collegiorum ecclesiasticorum, *durante munere*.

Ad § 1. Duo favores conceduntur in hac paragrapho Ecclesiasticis viris in § 2 recensitis:

1°. Ut obtinere possint iurisdictionem ad audiendas confessiones in dioecesi Romana, sine onere examinis subeundi;

---

[7] *Rivista diocesana di Roma* 2 (1961) 16-17.

2°. ut iurisdictione, quam a Cardinali Vicario obtinuerint, tamdiu fruantur, quamdiu sub § 2 statuitur.

Bene notandum est iurisdictionem non concedi ipso iure. Viri Ecclesiastici de quibus agitur, ut quilibet alius sacerdos non privilegiatus, illam obtinent a Cardinali Vicario (aut eius Vicesgerente aut a Vicariatus Officiis). Sed eximuntur ab onere examinis, ut doctores in sacra Theologia vel in re Biblica vel in Iure Canonico, de quibus in art. 64 § 2, et praeterea iurisdictione, quam obtinuerint, tamdiu fruentur quamdiu in § 2 huius articuli statuitur, attenta dignitate et officio unius cuiusque.

Ad § 2. Textus est clarus. Addemus aliquas tantummodo brevissimas indicationes.

Ad 1°. Episcopi intelleguntur omnes, etiamsi non sint residentiales nec Romae resideant. Attenditur solummodo character episcopalis. Si episcopus quilibet iurisdictionem a Vicariatu obtinuerit, illam conservabit in perpetuum, etiamsi e dioecesi Romana discesserit.

Ad 2°. Quinam veniant sub nomine « *Praelati Romani* », declaratur in nota marginali ad art. 9, § 2, quae dicit:

« Nomine *Praelatorum Romanorum* intelleguntur:

— Praelati, vulgo « di fiocchetto », id est Vice-Camerarius S. Romanae Ecclesiae, Thesaurarius, Auditor Generalis Reverendae Camerae Apostolicae, Praefectus Pontificiae Domus;

— Assessores et Secretarii in Sacris Congregationibus Romanis;

— Magister seu Praefectus cubiculi secreti Summi Pontificis; Secretarius Tribunalis Signaturae Apostolicae, Decanus Sacrae Romanae Rotae, Substitutus Secretariae Status;

— membra quattuor Collegiorum Praelaticiorum, scilicet Protonotarii Apostolici de numero Participantes, Praelati Auditores Sacrae Romanae Rotae, Praelati Clerici Reverendae Camerae Apostolicae, Praelati Votantes ac Referendarii Signaturae Apostolicae.

Ad 3°. In hoc numero nomine Antistitum veniunt omnes qui in iure tamquam *Ordinarii* habentur. Praescinditur a dignitate episcopali. Comprehenduntur omnes *Ordinarii,* sive locorum sive religiosi. Huiusmodi sunt, iuxta can. 198, Episcopus residentialis, Abbas vel Praelatus nullius eorumque Vicarius Generalis, Administrator, Vicarius et Praefectus Apostolicus, itemque ii qui praedictis deficientibus interim ex iuris praescripto aut ex probatis constitutionibus succedunt in regimine, pro suis vero subditis Superiores maiores in religionibus clericalibus exemptis. Hi omnes, si a Vicariatu iurisdictionem obtinuerint, illam conservabunt tamdiu quamdiu in munere Ordinarii permanserint.

Ad 4°. Paenitentiarii ad audiendas confessiones in basilica ad quam pertinent habent iurisdictionem vi muneris. Nn hoc numero agitur de iurisdictione ad excipiendas confessiones in toto territorio dioecesis Romae. Ad normam § 1 huius articuli, illam possunt obtinere sine onere examinis, et semel obtentam conservabunt donec in munere paenitentiarii permanserint.

Ad 5°. Legislator non determinat taxative quaenam sint munera illa maiora Vicariatus, quorum Praelati Praesides favorem huius articuli obtinere possunt. Adhibet, e contra, clausulam generalem et aliquantulum indeterminatam, quae valere et applicari poterit etsi munera Vicariatus aliquam novam ordinationem subierint. Ceterum in hac re prae oculis habendus est art. 18: « Peculiari statuto a Cardinali Vicario, cum approbatione Summi Pontificis, edendo, disciplina et potestates singulorum Vicariatus Officiorum definientur ».

Elenchus Examinatorum Apostolicorum et Iudicum Tribunalis Vicariatus Urbis, in Synodo nominatorum, invenitur in volumine « *Prima Synodus Romana* », p. 538-542. Numerantur: *Examinatores Apostolici,* 40; *Iudices Synodales* in Tribunali Primae Instantiae pro causis matrimonialibus, 26; in Tribunali Appellationis, 19.

Ad 6°. Ad declarandum magis in concreto quinam Rectores fruantur hoc favore, putamus recursum fieri

posse ad n. 11, 15 et 16 elenchi convocatorum ad Synodum, ubi aliqua maior specificatio habetur.

In n. 11 dicitur: « I Rettori, del Clero Secolare o Regolare, preposti alle Università, agli Atenei o ad altri Istituti di studi superiori, con il titolo di Rettore Magnifico, Preside, od altro analogo .... ».

In n. 15: « I Rettori dei Pontifici Seminari Romani Maggiore, Minore e per gli Studi Giuridici ... ».

Et in n. 16: « I Rettori dei Seminari e dei Collegi Ecclesiastici, esistenti nel territorio della Diocesi di Roma .... ».

Ut norma concreta ad iudicandum quinam Rectores de facto gaudeant favore in hoc numero concesso, potest adhiberi, nostro iudicio, haec: Gaudent hoc favore omnes Rectores, qui, qua Rectores Seminarii vel Collegii Ecclesiastici, adfuerunt Synodo Romanae, et quidem qua membra, vi convocationis factae ex mandato Summi Pontificis, praeter Ius Commune (cf. « *Prima Romana Synodus*, p. 533-534).

9. Facultas parochorum pro tota dioecesi.

70

Parochi Romanae dioecesis, qui periculum ad munus paroeciale prospere fecerint, vel ab eodem sint exempti, potestatem habent Confessiones audiendi toto Romanae dioecesis territorio, ***durante munere.***

Ut notum est, parochi habent iurisdictionem ordinariam ad confessiones omnium fidelium excipiendas intra territorium propriae paroeciae. Extra proprium territorium, nisi agatur de confessionibus propriorum subditorum, indigent iurisdictione delegata, ut ceteri sacerdotes. In multis tamen dioecesibus laudabilis viget consuetudo, iuxta quam parochi, eo ipso quod sunt parochi, habent iurisdictionem delegatam pro toto territorio dioecesis, ex implicita concessione Ordinarii loci. Saepe huiusmodi

consuetudo confirmatur in constitutionibus synodalibus. Est id quod facit Synodus Romana vi praesentis articuli.

Cum vero parochi qua tales non sint exempti ipso iure synodali ab examine ad audiendas confessiones (art. 64, § 2; 69), explicite memoratur in hoc articulo condicio examinis feliciter superati vel legitimae ab eo exemptionis (cf. art. 64, § 3), ut possint hanc iuridictionem delegatam pro tota dioecesi obtinere. Non tamen requiritur peculiare examen. Sufficit examen generale ad munus paroeciale.

Etiam in hoc articulo, nomine parochorum intelleguntur omnes qui in iure parochis aequiparantur (cf. supra ad art. 68, § 3).

10. Qui extra Romam habent iurisdictionem ordinariam, possunt Romae excipere confessiones etiam non subditorum.

71

Omnes, quibus extra Romanam dioecesim potestate ordinaria Confessiones audire licet (cfr. can. 873, §§ 1 et 2), quoties subditorum Confessiones Romae audiunt, possunt etiam non subditorum audire, qui sponte petant.

Ordinarius loci et canonicus paenitentiarius in tota dioecesi, parochus aliique qui loco parocho sunt in territorio propriae paroeciae, habent iurisdictionem ordinariam ad excipiendas confessiones quorumlibet fidelium, salvo canone 876 circa confessiones religiosarum. Haec iurisdictio est territorialis. Sed quoad proprios subditos, id est, quoad fideles qui habent domicilium vel quasi-domicilium in proprio territorio, potest exerceri ubique terrarum, ad normam c. 881, § 2.

In exercitio huius iurisdictionis extra proprium territorium, possunt exsurgere difficultates molestae, ex eo quod iurisdictio non extendatur nisi in proprios subditos, et saepe possit accidere ut confessio instituatur in loco

accessibili etiam aliis fidelibus. Est casus v. gr. parochi qui cum propriis paroecianis peregrinationem peragit extra propriam dioecesim, et eorum confessiones excipit in aliqua ecclesia vel sanctuario. Confessiones aliorum fidelium, si qui accedant ad confessionem, non erunt validae, nisi locum habeat error communis ad normam can. 209, cum parochus iurisdictionem non habeat nisi ad confessiones propriorum subditorum.

Huic difficultati iuris communis, occurrit Synodus Romana concedendo iurisdictionem delegatam ad excipiendas confessiones non subditorum, quoties hi sponte petant confessionem a sacerdote adventitio qui vi iuristionis ordinariae propriorum subditorum confessiones in dioecesi Romana actu excipit.

Requiritur aliquis nexus inter confessiones subditorum et non subditorum, ut clare patet ex tenore articuli. Supponitur enim confessarium audire confessiones subditorum cum alii sua sponte « petunt ». Haec petitio generatim nihil aliud erit quam simplex accessus ad sedem confessionalem vel ad locum ubi confessarius excipit confessiones subditorum.

Paragraphus secunda can. 873 (in hoc articulo citata), loquitur praeter quam de canonico paenitentiario etiam de superioribus religiosis exemptis. Etiam hi habent iurisdictionem ordinariam ad excipiendas confessiones subditorum. Haec iurisdictio non est territorialis, sed personalis, ac proinde exercitabilis ubique terrarum. Patet igitur etiam superiores religiosos exemptos adimplere condicionem requisitam in hoc articulo, scilicet ut possint excipere confessiones potestate ordinaria extra dioecesim Romanam. Poterunt ergo quoties in dioecesi Romana confessiones subditorum audiant, excipere etiam confessiones non subditorum, si ipsi sponte sua petant.

Casus potest accidere maiore frequentia quam primo aspectu videretur. Subditi enim Superioris religiosi exempti ad confessiones quod attinet, non sunt tantum professi et novitii, sed etiam alii omnes qui in domo religiosa degunt diu noctuque causa famulatus aut educationis aut hospitii aut infirmae valetudinis, ad normam

can. 514. Nec raro accidit ut Superior religiosus Romam veniat cum aliqua turma convictorum, quorum confessiones in dioecesi Romana possit excipere vi suae iurisdictionis ordinariae.

Nec est necesse ut Superior religiosus sit Romae adventitius. Omnes enim condiciones huius articuli adimplet, etsi nullibi extra dioecesim Romanam subditos habeat et ipse Romae commoretur. Casus tamen non erit adeo frequens, cum omnes sacerdotes Romae commorantes teneantur iurisdictionem ad audiendas confessiones sibi comparare, ad normam art. 47. Si Superior hanc obligationem adimplet, practice numquam indigebit iurisdictione, de qua in art. 71, ad absolvendos non subditos. Unica circumstantia in qua poterit indigere iurisdictione de qua in hoc articulo videtur esse cum novus Superior designatur. Si ante designationem non habebat iurisdictionem delegatam in Urbe eo quod extra Romam degeret, debet illam postulare a Vicariatu Urbis intra annum ab inita in Urbe commoratione. Donec impetret hanc iurisdictionem, habet iurisdictionem ordinariam in subditos, nullam vero in alios fideles. Bene ergo poterit accidere casus in hoc articulo praevisus.

Ad hunc effectum iuridicum, nomine *Superiorum* de quibus in can. 873, § 2, veniunt non tantum Superiores *maiores,* sed etiam *locales,* nisi Constitutiones aliud statuant [8].

Iurisdictionem quae vi huius articuli conceditur obtinere possunt etiam *Ordinarii Castrenses* et *Cappellani militum,* constituti ad normam Instructionis S. C. Consistorialis, 23 apr. 1951 [9]. Idem dicendum de *Missionariis emigrantium* constitutis ad normam Constitutionis Apostolicae « *Exul familiae* », 13 maii 1952 [10]. Idem de *Rectoribus Seminarii* cum, iuxta probabiliorem, practice

---

[8] Cf. A. Larraona, *Commentarium Codicis,* in: *Comm. pro Religiosis* 10 (1929) 254.

[9] *A.A.S.* 43 (1951) 562-565.

[10] *A.A.S.* 44 (1952) 649-706.

certam, sententiam [11], iurisdictionem ordinariam habeant ad excipiendas confessiones eorum « qui in seminario sunt », ad normam can. 1368.

11. Privilegium eorum qui examen in Urbe feliciter subierint.

72

Qui praescriptum periculum, de quo in art. 64, prospere fecerint, a nullo alio Ordinario Antistite ad aliud periculum adigi possunt, salvo praescripto can. 877, § 2.

Romanus Pontifex, vi huius legis synodalis, omnibus qui examen ad audiendas confessiones in Vicariatu Urbis feliciter superaverint, privilegium concedit immunitatis a quolibet alio examine. Vi huius concessionis nullus Ordinarius sive loci sive religiosus potest illum qui examen in Urbe prospere fecerit, ad aliud examen adigere, nisi dubium prudens exsurgat de permanentia idoneitatis, ad normam can. 877, § 2: « Si post concessam iurisdictionem aut licentiam prudenter dubitent [Ordinarii aut Superiores religiosi] num probatus a se antea sacerdos pergat adhuc idoneus esse, eum ad novum doctrinae periculum adigant, etsi agatur de parocho aut canonico paenitentiario ».

Examen igitur in Urbe feliciter superatum, eumdem effectum iuridicum producit ac si apud unumquemque Ordinarium factum fuisset. Ordinarii non habent ius exigendi a sacerdote ita probato aliud examen, nisi in casu quo prudenter dubitent de permanentia idoneitatis ad audiendas confessiones.

---

11 Cf. P. Ciprotti, *An Superior Seminarii iurisdictionem ordinariam habeat ad confessiones alumnorum audiendas*, in: *Apollinaris* 8 (1935) 182-184; 609-610.

APPENDIX

1. *De confessariis religiosarum* (Ex lib. I, part. 2, tit. 2).

187

§ 1. Cardinalis Vicarii est cappellanos iis religiosis mulieribus constituere, quae non sunt directe religioso Superiori subiectae.

§ 2. Plerumque religiosarum cappellanus non idem sit atque earum ordinarius vel extraordinarius confessarius.

§ 3. Cappellano non licet se immiscere iis omnibus rebus, quae ad singularum religiosarum officium, operam, statum attinent, vel ad communitatis disciplinam.

§ 4. Nullus sacerdos ad Sacrificium in religiosarum ecclesiis vel oratoriis faciendum admittatur, nisi diligentissime servato praescripto art. 60.

188

§ 1. Facultatem audiendi religiosarum Confessiones vel ad eas concionandi Vicarius non concedit, nisi sacerdotibus, qui iam antea ad mulierum Confessiones audiendas et ad concionandum approbati sint. Sacerdotes autem, qui Romae non habitent, oportet praeterea a proprio Ordinario idonei sint declarati ad ea munia apud religiosas obeunda.

§ 2. Alicuius communitatis confessarius ordinarius non potest habitualiter apud eamdem concionari; sacerdoti autem, qui per sacras exercitationes pietatis causa susceptas apud religiosas concionetur, earum etiam audire, per idem tempus, confessiones licet.

§ 3. Expedit ut religiosarum confessarius munus praedicandi ad eos non obeat, de quibus religiosae curam gerunt; neque ut horum confessarius idem sit atque religiosarum concionator.

189

§ 1. Omnium confessariorum — ordinariorum, extraordinariorum, additorum — nominatio in singula fit

triennia, quae omnia eodem explentur die. Nisi autem aliud aperte statuatur, ii, qui forte sufficiuntur, per vertens triennium nominantur.

§ 2. Antistita potest inter triennium petere ut confessarius subrogetur; subrogatio autem non fiet, antequam aut confessarius munus ad Vicariatum sponte deposuerit aut Vicariatus iusserit ut confessarius munus deponat.

§ 3. Gravi antistita obligatione tenetur religiosis mulieribus permittendi, ut aliquem ex confessariis legitime pro ipsis designatis libere adeant, ad normam iuris canonici, et art. 66, § 2.

190

Firmis praescriptis art. 188, §§ 2 et 3, confessarius et concionatur, pro religiosis mulieribus designati, sua facultate uti possunt et pro fidelibus qui religiosarum ecclesiam vel oratorium celebrant.

191

Religiosarum confessarii et concionatores vetantur quominus sese immisceant, quolibet modo, interno vel externo sodalitatis regimini. In religiosa domo diutius ne immorentur quam ad munus explendum opus sit.

2. *De Confessione peccatorum* (Lib. 2, part. 2, tit. 5, cap. 1).

432

Paenitentiae sacramentum, summum benigni Dei erga homines peccatores documentum, idemque secunda post naufragium tabula, sancte administrari debet ac religiose recipi.

433

Meminerit sacerdos se esse, in Paenitentiae sacramento perficiendo, simul et iustitiae et misericordiae administrum; medici praeterea se personam gerere, qui ani-

mi infirmitatibus mederi possit; magistri veritatis et innocentiae; patris denique amantissimi atque misericordis.

434

Ut munere suo, perdifficili sane ac gravissimo, fungatur, opus est in primis ut huius sacramenti minister cum theologicis doctrinis sit optime institutus, tum etiam iure canonico plane eruditus, et re ascetica, et, quoad fieri potest, iis etiam disciplinis, quae ad animarum gubernationem praecipue respiciant.

435

In audiendis aliorum Confessionibus, sacerdos summa prudentia atque caritate se gerat erga omnes, maxime autem erga pueros eosque quos vel imparatos cognoverit, vel non bene affecto et constituto animo esse intellexerit, id secum in animo considerans se divini Magistri gerere partes, eiusque vicibus sive in dicendo sive in agendo se fungi.

436

Confessiones audiendi facultas cum iuris communis praescriptis, tum etiam artt. 47, 63 et 64 huius Synodi temperatur.

437

§ 1. Omnes sacerdotes qui probati fuerint, ii praesertim qui curationem animarum susceperunt, studioso ac sedulo animo praesto adsint, fidelium Confessionibus audiendis.

§ 2. In basilicis, in sacris paroecialibus aedibus, in ceterisque templis quae sint frequentiora, unus aut plures Paenitentiae administri in populi commodum semper adsint.

§ 3. In his autem ecclesiis ad communem fidelium utilitatem index pateat horarum, adposita tabella inscriptus, ad audiendas Confessiones.

438

Curent sacerdotes, ut pueri sua peccata aliis horis et diebus rite accusare possint, atque iis, quas aptiores et commodiores experti sint ad adultorum admissa abluenda.

439

Consulant parochi ut, saltem in certis quibusdam anni sollemnitatibus, praeter solitos, etiam alii confessarii praesto sint, populo ignoti, quibus possint christifideles admissa omnia confiteri libera facultate.

440

Confessarius poenitenti animum addat eumque adiuvet ut sine reticentia et rubore peccata declaret, inutiles tamen collocutiones et incautas quaestiones vitans. Rationes proponat quibus summus dolor et firmum propositum excitari possint.

441

Etsi attritio seu dolor imperfectus ad huius sacramenti validitatem satis est, nitatur tamen confessarius poenitentem ad contritionem seu dolorem perfectum movere.

442

Confessarius praeterea opportune suadeat omnibus, prout casus et cuiusque status obligationes ferunt, cotidianas preces, frequentem sacramentorum usum, pietatem in Deiparam Virginem, cotidianam sui ipsius recognitionem cum contritionis actu.

443

In poenitentia imponenda confessarius singulorum adiuncta et statum perpendat, easque seligat speciales poenitentias, quae unicuique vere salutares sint et fructuosae; quibus penitus adiuvetur ad vitandum lapsum in peccata, praesertim fuga periculorum et occasionum facta; atque feratur ad pietatis fructum per voluntariae

sui ipsius castigationis, caritatis, apostolatus opera obtinendum.

444

In Confessionis ministerio sacerdotes:

1° meminerint divinum de Confessionis integritate praeceptum cum gravi poenitentis vel confessarii damno, quod sit Confessioni extrinsecum, non urgeri: ac proinde quoties vel poenitentis scandalum vel ipsius confessarii ruina ex interrogatione prudenter timeatur, eadem abstinendum esse. In dubio, vero, doctorum commune monitum sit semper menti defixum, hac in re melius esse deficere quam ruinae periculo excedere;

2° quatenus fieri potest, antea virorum, postea vero mulierum Confessiones audiant.

445

In Confessionibus audiendis sacerdotes regulariter superpelliceo et violacea stola utantur, vel saltem stola.

446

Sedes Confessionibus audiendis in patenti loco collocetur, et ita disposita ut fideles non stipentur; commoda ea sit, decens, stabilis, duplici crate munita, vel velamine operta.

447

Annuae Confessionis obligatione omnes tenentur, qui rationis usum adepti sunt. Pueri igitur, quamvis nondum ad primam Communionem admissi, praecepto annuae Confessionis tenentur, cuius transgressio parentibus quoque imputatur horumque vices gerentibus, ad quos christiana eorum institutio spectet.

448

Parochus pueros doceat praecipua fidei elementa et Dei Ecclesiaeque legem, ita eos aptos efficiens qui sancte ad misericordiae et veniae sacramentum accedant.

URBANUS NAVARRETE, S. I.

DE CAELIBATU CLERICORUM

Hisce paginis necnon in aliis periodicis pluries iam de caelibatu clericorum scribebamus [1]. Haec studia omnia nunc in unum sunt redacta; immo argumentum ex integro revisum et recollectum nunc tamquam opusculum in lucem prodiit [2]. In hac relatione argumentum libri breviter exponimus (sub I.); dein breviter explicabimus, cur et quomodo argumentum libri satisfaciat variis exigentiis temporis nostri (sub II.).

I. Opusculum quattuor partibus constat. In primo capite, post brevem relationem de virginitate Christi Domini, Ecclesiae, sponsae Domini immacultae, Beatae Mariae Virginis, agitur de virginitate christiana; finis enim caelibatus est virginitas. Virginitas christiana constituitur hominis amore indiviso, exclusivo necnon dedicatione integra cordis et corporis ad Dominum (*1 Cor.* 7, 32 ss). Matrimonium omnino est inter bona magni valoris et momenti pro homine, attamen virginitas maius bonum constituit, quia naturâ suâ ordinatur directe ad unionem caritatis cum Deo.

---

[1] *Die rechtliche Grundlage der Zölibatsverpflichtung,* in: *Geist und Leben* 24 (1951) 229 s. — *De fonte obligationis caelibatus clericorum in sacris,* in: *Periodica de re morali canonica liturgica* 41 (1952) 107-129. — *Priestertum, Jungfräulichkeit und Keuschheitsgelübde in ihren theologischen Beziehungen,* in: *Geist u. Leben* 28 (1955) 95-104. — *De voto castitatis clericorum saecularium,* in: *Periodica* 44 (1955) 139-174. — *De efformando in clericis genuino fundamento caelibatus suscipiendi,* in: *Periodica* 47 (1958) 3-28.

[2] *Der Zölibat des Priesters: Sinngehalt und Grundlagen,* Würzburg: Echter-Vl., 1960, 104 pag. — *Het Celibaat van de Priester: Zin en Grondslag,* Ndl. van B. J. Hageman, Brugge: Desclée De Brouwer, 1960, 113 pag. — *Il Celibato Sacerdotale: Significato e Motivi,* Traduz. dal tedesco di Giacomo Maturi, Roma: Libreria Editrice della Pont. Univ. Gregoriana, 1960, 117 pag. — *El celibato del sacerdote: Contenido y fundamentos,* versión española por Bernardo Bravo, S. I. Bilbao: El Mensajero del Corazón de Jesús, 1960, 122 pag. — Praeparatur versio anglica et gallica.

Altera ex parte electione status virginitatis natura hominis non mutatur; hinc virginitas continuam abnegationem exigit, qua fit participatio perpetua in cruce Domini. Tandem haec dedicatio integra ad Dominum non habetur, nisi ipsa ex parte hominis irrevocabilis reddatur et vinculum indissolubile constituatur; quae eo fiunt, quod votum perpetuum castitatis emittitur.

In secundo capite exponitur sententia, quae dicit officium sacerdotis exigere statum virginitatis tamquam statum sacerdotio summe convenientem. Sacerdotis enim Christi est perducere fideles ad Deum, ad unionem caritatis cum Deo. Hinc ipse sacerdos, mediator Dei et hominum, Deo caritate unitus esse debet modo, in quantum hoc est possibile, perfecto; iamvero status virginitatis natura sua ad unionem caritatis cum Deo ordinatur. Ulterius convenit, ut sacerdos Christum repraesentans in offerendo sacrificio eucharistico cum ipso etiam hostiam se constituat; iamvero virginitas natura sua sacrificium perpetuum — martyrium incruentum secundum SS. Patres — constituit; hinc status virginitatis officio sacerdotali quam maxime congruit.

In tertio capite exponuntur dispositiones canonicae de caelibatu; in specie proponitur sententia quae dicit legem ecclesiasticam caelibatus Ecclesiae Latinae exigere votum (tacitum) ordinandi tamquam modum, quo lex est implenda. Sententia haec fundatur rationibus canonicis necnon theologicis et etiam pastoralibus; experientia enim constat sententiam, quae votum negat, dispositionem pro caelibatu multum infirmare in aspirantibus ad sacerdotium necnon in sacerdotibus ipsis.

In quarto capite agitur de quaestionibus pastoralibus caelibatum spectantibus. Proponitur finalitas bisexualitatis hominis et virium sexualium, quae a Creatore ordinantur ad bona etiam ordinis spiritualis magni valoris pro homine. Hinc sexuum polaritas conferre destinatur ad integrationem et maturitatem personalem, ad formandum characterem harmonice evolutum in aequilibrio omnium facultatum spiritualium. Haec finalitas exigit, ut sphaera sexualis non consideretur mere ne-

gative, sed ut ipsa habeatur tamquam aliquid naturaliter sacrum. Hinc homo in statu caelibatus vivens vera disciplina sui viribus sexualibus dominari necnon habitudinem simplicem, nullo modo contortam, sed interne liberam et homine maturo dignam, coniunctam cum disciplina suiipsius, erga alterum sexum assumere debet.

Electio status caelibatus plenam libertatem candidati supponit; nam sacrificium perpetuum, ad quod candidatus se obligat, nisi libere praestetur, vix in perpetuum praestabitur. Altera ex parte sacerdos eo, quod caelibatum elegit, non renuntiat perfectione humana matura; ipse quidem renuntiat via ordinaria ad talem perfectionem, scilicet per matrimonium. — Quod attinet ad amicitiam, haec natura sua non involvit talem ligationem affectus, qualis est propria amori sexuali; hinc amicitia virginitate non excluditur; excluditur autem per virginitatem practice amicitia familiaris cum mulieribus, quia secundum communiter contingentia talis amicitia via est naturalis ad amorem sexualem. Praesertim autem virginitas exercitum caritatis erga homines exigit; ita autem virginitas ipsa sacerdotem ad perfectionem humanam perducit, ad paternitatem spiritualem, dummodo ipse vere et integre Domino se dedicet, necnon vita vere spirituali, oratione et meditatione, semper de novo caritas divina in ipso accendatur.

II. Hisce expositis iam patet argumentum opusculi multiplici sub ratione satisfacere exigentiis nostri temporis. Unam alteramve harum rationum breviter indicabimus.

1. Cum debeamus facere veritatem (*Io.* 3, 21; *Eph.* 4, 15), conceptio theologica virginitatis multum conferre potest ad virginitatem perfectius vivendam. Iure hodie rationes ordinis practici tamquam fundamentum pro caelibatu sacerdotis tamquam sufficientes non iam habentur. Altera ex parte conceptione a nobis prolata aliae rationes theologicae non excluduntur; virginitas enim est inter mysteria vitae christianae, quae nunquam ex integro dilucidari a nobis possunt.

2. Plures sunt causae, quibus hodie in multis regionibus debetur penuria iuvenum aspirantium ad sacerdotium. Sine dubio inter tales causas est sacrificium perpetuum, quod caelibatus exigit. Attamen sacerdotium saepe declinatur propter modum, quo caelibatus proponitur. Saepe enim fere exclusive effertur elementum negativum caelibatus, scilicet abstinentia a contrahendo matrimonio et ab actibus sexualibus. Ipsa finalitas positiva bisexualitatis hominis et polaritatis sexuum non attenditur. Tali modo procedendi praevalenter negativo debetur, ut iuvenes, et quidem praesertim illi, qui indole sunt magis qualificati, caelibatum habent statum detruncatae perfectionis humanae et personalis, quem a limite pro seipsis excludunt. Hoc eo vel magis, si etiam elementum positivum caelibatus, immo eius essentia, fere non attendatur, scilicet quod caelibatus est « quoddam spiritualis matrimonii genus quo animus Christo coniungitur »[3], quod caelibatus ita obiective constituit bonum maius respectu matrimonii. Hisce bonis ordinis naturalis et supernaturalis in luce positis manifestum fit sacerdotem per ipsam virginitatem perduci ad perfectionem humanam et personalem. Talis modus procedendi etiam hodie iuvenes bonae voluntatis allicit ad statum caelibatus; non enim deficiunt hodie vocationes divinae, neque deficiunt iuvenes repleti spiritu generositatis erga Dominum vocantem.

3. Ex altera parte negari nequit inter causas, quibus debetur penuria iuvenum aspirantium ad sacerdotium non raro esse etiam conceptionem nimis exaltatam matrimonii christiani, matrimonii, quod consecratur sacramento a Christo instituto[4]. Sine dubio, talis indoles

---

[3] Pius XII, Litt. Enc. « *Sacra Virginitas* », in: *Acta Apostolicae Sedis* 46 (1954) 166.

[4] Derrière tout cela, il peut avoir comme une transformation du sens du sacerdoce: sécularisation et laïcisation. Parallèlement, on croit observer un phénomène inverse du côté du laïcat. C'est une commission nationale de l'Action catholique qui, répondant à une enquête nationale lancée par l'épiscopat, écrivait en 1944:

« L'Action catholique est une rivale sérieuse pour le recrutement du clergé: l'adolescent ne voit pas pourquoi il sera plus

sacra et sacramentalis matrimonii christiani non potest satis efferri; neque unquam ad praestantiam virginitatis in luce ponendam valori matrimonii christiani aliquid detrahi debet.

Attamen, debemus « laudare multum religiones, virginitatem et continentiam, et non adeo matrimonium, quantum ullum ex istis »[5]. Praestantia enim virginitatis prae matrimonio fundatur eo, quod virginitas obiective bonum maius matrimonio constituit. Virginitas enim in se illam habitudinem ad Dominum constituit, ad quam matrimonium sacramentale coniuges praeparat, quatenus coniuges saltem in morte partem relinquere tenentur ut ad illum statum perveniant, quo homines « neque nubent, neque nubentur: sed erunt sicuti angeli Dei in caelo » (*Mt.* 22, 30). Expositio conceptionis christianae de matrimonio et de virginitate non potest non perducere auditorem vel lectorem ad conclusionem: Non est res obiective plane indifferens, utrum aliquis eligat statum virginitatis an matrimonii christiani; qui matrimonium

---

utile à l'avènement du Royaume de Dieu comme prêtre que comme militant. D'autant plus que la vocation de militant, dont on lui fait un si beau tableau, n'implique pas la renonciation au mariage. On remarquera ici que ce qui l'emporte sur le célibat, ce n'est pas, comme autrefois, la simple faiblesse de la chair, mais une conception très haute du mariage chrétien: vivre chrétiennement dans les liens du mariage n'apparaît plus, dans notre époque néo-malthusienne, comme une solution de facilité. D'autre part, dans nos milieux de militants d'Action catholique, c'est souvent que se nouent des unions dont le caractère spirituel rappelle celle de certains ménages de pasteurs protestants: ce n'est pas pour renoncer au service de Dieu mais pour mieux s'y consacrer tout entiers, que deux jeunes gens s'unissent ». (*Informations catholiques internationales,* nr. 76, 15 juillet 1958, Paris, p. 18 19).

En de nombreuses familles chrétiennes, on ne parle jamais du sacerdoce possible (encore moins de la vocation de religieuse). Il est trop de collèges encore où cette présentation serait comme impensable, comme une atteinte à la liberté de conscience (serions-nous à ce point laïcisés?) Il est trop de groupes ou d'équipes, dans les mouvements de jeunes, où tout conduit naturellement à la seule perspective du mariage (Chanoine FERNAND BOULARD, *ibidem,* p. 1).

[5] *Exercitia spiritualia Sancti Patris Ignatii de Loyola*: Regulae ad sentiendum cum Ecclesia, regula quarta.

eligit, bene facit, sed qui virginitatem eligit — dummodo a Deo vocatus sit — melius facit.

4. Sacerdotes qui caelibatum in libertate interna non vivunt — eo quod integratio sexualitatis non habetur — saepe caelibatum tantum magna cum contentione virium, praesertim nervorum, servare possunt, quae disturbare potest aequilibrium psychicum. Crisis interna, quae ita saepe oritur, creat periculum, ut non tantum non-genuina emendentur, sed ut etiam principia genuina et semper tenenda abdicentur. Immo, quod conceptioni mere negativae quoad sphaeram sexualem debentur etiam plures casus apostasiae a sacerdotio, per facta notoria quotidie probatur; in aliqua *Instructione* recenti *S. Congregationis de Disciplina Sacramentorum* circa scrutinium ante ordinationes refertur plures sacerdotes dispensationem a caelibatu petentes defectum institutionis et educationis genuinae ad caelibatum proponere tamquam causam dispensationis obtinendae.

Habetur quidem concupiscentia mala (quae de cetero non restringitur ad vires sexuales); attamen vires sexuales non sunt in se malae. Utique appetitus naturalis talibus viribus immanens ad obiectum ipsis proprium hominem status naturae lapsae impellit modo caeco, scilicet quin de se sit subiectus rationi, quin attendat, num talis tendentia sit recto ordini conformis. In quantum homo voluntarie tali tendentiae inordinatae consentit, in tantum habetur actio mala. In quantum autem talis tendentia consensu libero non admittitur, ipse appetitus naturalis virium sexualium est ethice indifferens.

Hanc doctrinam catholicam omnino claram et clare propositam [6] omnes profitentur; in praxi pastorali autem et in institutione alumnorum, proh dolor, non semper

[6] Hanc concupiscentiam, quam aliquando Apostolus peccatum appellat, sancta Synodus declarat, Ecclesiam catholicam nunquam intellexisse peccatum appellari, quod vere et proprie in renatis peccatum sit, sed quia ex peccato est et ad peccatum inclinat (CONCILIUM TRIDENTINUM, sess. V, *Decretum super peccato originali*: DENZINGER, *Ench. Symb.* n. 792).

proceditur secundum hanc normam [7]. Modus procedendi in hisce casibus non fundatur in rationibus ordinis rationalis (quae non habentur validae), sed in rationibus ordinis emotionalis; talis modus procedendi explicatur ex defectu integrationis personalis sexualitatis, scilicet ex defectu coordinationis eius cum aliis qualitatibus praesertim spiritualibus hominis [8]. Hinc periculum peccati, quod ex concupiscentia vere habetur, ceteris paribus maius fit, ob reactionem contrariam naturae [9].

---

[7] Wir kommen zu dem Ergebnis: Jede Art manichäisch-neuplatonischer Abwertung, aber auch jede Art libertinistischer Überbewertung und Isolierung von Sinnlichkeit und Sexualität ist nach christlichem Denken Preisgabe der humanitas. Die Behauptung einer sexual-pessimistischen und sinnenfeindlichen Anthropologie trifft somit das Christentum keineswegs in der üblichen Verallgemeinerung. Und doch ... ist es durchaus denkbar, daß jene neuplatonische Abwertung der Vitalsphäre, obwohl in Lehre und Ethos der Kirche längst und oft grundsätzlich verurteilt, auf Umwegen doch wieder in die Praxis der Seelsorge und Askese eingedrungen ist und hier unterirdisch weiterwuchert. Nicht immer war und ist die kirchliche Praxis der adäquate Ausdruck der gesunden kirchlichen Lehre und Ethik (FR. X. ARNOLD, *Mann und Frau in Welt und Kirche*, Nürnberg ²1959, 124 s).

[8] Immer wieder erhält der praktische Psychotherapeut den Eindruck, daß manche Seelenführer auch nicht ein Minimum von Verständnis für die natürlichen Werte und Kräfte, für die gottgewollte Triebhaftigkeit des Menschen aufbringen. Auf der einen Seite werden so Verdrängungen großen Stiles in naiver Weise gefördert, alle Arten von seelischen Blockierungen, ja Lähmungen und Vereisungen des Gefühlslebens werden als Fortschritte betrachtet .... Man bedenkt nicht, daß eine gewisse Haltung der 'Keuschheit' nicht selten nur Angst vor der Sexualität als solcher und vor der Verantwortlichkeit ist, die sie bringen würde .... In vielen Fällen ein großes Feld der Verdrängungen, aber vielleicht nicht sehr oft die Beherrschung einer wirklich kraftvollen, erwachsenen Sexualität im Sinne der freigewollten Lebenswahl (JOS. RUDIN — Doctor psychologiae paedagogicae, tamquam sacerdos membrum associationis communis medicorum et sacerdotum Helvetiae —, *Psychotherapie und Religion, Seele, Person, Gott*, Olten und Freiburg i.B. 1960, p. 173 174).

[9] L'eccesso nella difesa del pudore allarga enormemente e arbitrariamente la sfera del « pericoloso », rende la coscienza morbosa e l'esercizio della virtù estremamente faticoso, se non addirittura intollerabile ... Consideriamo misure eccessive, per esempio: non abituare i giovani a pulire il proprio corpo con la dovuta

« Veritas liberabit vos » (*Io.* 8, 32). Ordinatio vitae secundum genuina principia anthropologiae christianae inter media efficacia est obtinendi dominationem virium sexualium homine dignam, et praesertim optimum remedium est, ne oriatur talis crisis plena periculis pro maturitate humana necnon pro vita spirituali et religiosa, quae non raro perducit ad effectus funestos modo indicatos. Anthropologia christiana elementa positiva psychologiae modernae organice sibi assumit, immo conclusiones psychologiae modernae in multis genuinam traditionem christianam confirmant. Vere in ipsa *Instructione* modo relata *S. Congr. de Disc. Sacram.* explicite commendatur, ut conclusiones sanae psychologiae modernae attendantur.

5. Hinc conamina quaerendi solutiones huius generis quaestionum eo, quod infirmantur principia inviolabilia ethicae christianae, per nefas appellant ad psychologiam modernam. Sicuti illa, quae ad sanitatem animae et corporis — et hinc ad aequilibrium psychicum servandum — requiruntur, secundum leges naturae humanae ab ipso Creatore inditas, non possunt obesse principiis genuinis ethicae christianae, ita haec principia non possunt obstare conclusionibus genuinis psychologiae; ethica christiana enim in ipsa natura humana fundatur.

Elata finalitate theologica caelibatus, servata consuetudine familiari sacerdotis cum Domino in vita vere spirituali, acquisita habitudine matura erga sphaeram sexualem — hisce suppositis etiam hodie caelibatus bonum magni aestimandum constituit sacerdotis. Caelibatus enim « per saeculorum decursum fuit et est sacerdotii praeclarum et nitidissimum ornamentum. Sacri caelibatus nempe lex atque impendenda cura, ut ea diligenter servetur, in mentem semper reducunt memoranda glo-

---

modestia, proibire di togliere la veste per fare ginnastica, ricoprire esageratamente riproduzioni artistiche e scientifiche (V. MARCOZZI, S. I., *Problemi psicologici nella formazione*, in: *La formazione spirituale nei seminari*, Roma: Corso di Studi per i Direttori spirituali dei Seminari, settembre 1956, sotto l'alta direzione della S. Congregazione dei Seminari e delle Università degli Studi, p. 54).

riosaque certamina eorum temporum, quibus Ecclesia Dei ad aspera praelia vocata fuit et triplicem rettulit triumphum: nam hac est insigne victoriae Ecclesiae Christi, conniti ut sit libera, casta, universalis »[10].

WILHELMUS BERTRAMS, S. I.

---

10 IOHANNES XXIII, *Allocutio* habita in Synodo Romana, in: *Acta Apostolicae Sedis* 52 (1960) 226.

MONUMENTA

Acta Ioannis Pp. XXIII

(A.A.S. 52 [1960] 595)

LITTERAE APOSTOLICAE MOTU PROPRIO DATAE

NOVUM RUBRICARUM BREVIARII ET MISSALIS ROMANI CORPUS APPROBATUR.

Rubricarum instructum, quo publicus Ecclesiae cultus ordinatur ac regitur, Apostolica Sedes, inde praesertim a Concilio Tridentino, continenter studuit et pressius definire et perfectius ordinare. Pluribus itaque emendationibus, variationibus et additamentis decursu temporis introductis, totum rubricarum systema abunde succrevit, non semper vero systematico ordine servato, et non sine primitivae perspicuitatis ac simplicitatis detrimento.

Nil proinde mirum quod Decessor Noster, Pius Papa XII, fel. rec., plurium Episcoporum precibus annuens, rubricas Breviarii ac Missalis Romani in quibusdam ad simpliciorem formam esse redigendas censuerit, quod generali Decreto S. Rituum Congregationis diei 23 Martii anni 1955 fuit peractum.

Anno vero sequenti 1956, cum interim studia praeparatoria pro generali liturgica instauratione maturescerent, idem Decessor Noster Episcoporum mentem explorandam decrevit, circa Breviarii Romani liturgicam emendationem. Episcoporum autem responsionibus mature perpensis, quaestionem de generali ac systematica rubricarum Breviarii ac Missalis emendatione aggrediendam esse censuit, eamque peculiari illi commisit virorum

peritorum Commissioni, cui generalis instaurationis liturgicae studia demandata fuerant.

Nos autem, postquam, adspirante Deo, Concilium Oecumenicum coadunandum esse decrevimus, quid circa huiusmodi Praedecessoris Nostri inceptum agendum foret, haud semel recogitavimus. Re itaque diu ac mature examinata, in sententiam devenimus, altiora principia, generalem liturgicam instaurationem respicientia, in proximo Concilio Oecumenico Patribus esse proponenda; memoratam vero rubricarum Breviarii ac Missalis emendationem diutius non esse protrahendam.

Harum itaque rubricarum Breviarii ac Missalis Romani corpus, a peritis viris S. Rituum Congregationis praeparatum et a praefata Pontificia Commissione pro generali liturgica instauratione diligenter revisum, Nos ipsi, *motu proprio* et certa scientia, Apostolica Nostra Auctoritate, probandum censuimus, sequentia decernentes:

1) Novum rubricarum Breviarii ac Missalis Romani codicem, per tres partes digestum, scilicet: *Rubricae generales, Rubricae generales Breviarii Romani,* et *Rubricae generales Missalis Romani,* a Sacra Nostra Rituum Congregatione mox evulgandum, inde a die 1 Ianuarii proximi anni 1961, ab omnibus qui ritum romanum sequuntur, servandum esse praecipimus. Qui vero alium ritum latinum observant, quamprimum sive novo rubricarum codici, sive Calendario se conformare tenentur, in iis omnibus, quae illi ritui stricte propria non sunt.

2) Eodem die 1 Ianuarii anni 1961 vigere cessant *Rubricae generales* Breviarii et Missalis Romani, necnon *Additiones et Variationes* in rubricis Breviarii et Missalis Romani, ad normam Bullae Praedecessoris Nostri S. Pii X *Divino afflatu,* quae hucusque his libris praepositae habentur. Pariter vigere cessat Decretum generale S. R. C. diei 23 Martii anni 1955 *De rubricis ad simpliciorem formam redigendis,* in hac nova rubricarum redactione assumptum. Abrogantur denique eiusdem S.

Congregationis decreta et ad dubia responsiones, quae cum nova hac rubricarum forma non conveniunt.

3) Item statuta, privilegia, indulta et consuetudines cuiuscumque generis, etiam saecularia et immemorabilia, immo specialissima atque individua mentione digna, quae his rubricis obstant, revocantur.

4) Librorum liturgicorum editores, rite a S. Sede approbati et admissi, novas parare possunt editiones Breviarii et Missalis Romani, iuxta novum rubricarum codicem dispositas; ad necessariam vero novarum editionum uniformitatem praecavendam, S. Rituum Congregatio peculiares tradat instructiones.

5) In novis Breviarii vel Missalis Romani editionibus, omissis rubricarum textibus de quibus n. 2, novarum rubricarum textus praeponantur. Breviario quidem *Rubricae generales* et *Rubricae generales Breviarii Romani;* Missali autem item *Rubricae generales* et *Rubricae generales Missalis Romani.*

6) Omnes denique ad quos spectat quamprimum Calendaria et Propria, sive dioecesana sive religiosa, ad normam et mentem novae redactionis rubricarum et Calendarii conformari curent ,a S. Rituum Congregatione approbanda.

His itaque firmiter statutis, muneri Nostro Apostolico consentaneum ducimus, nonnulla addere hortamenta.

Nova sane hac rubricarum dispositione, dum ex una parte universus rubricarum Breviarii et Missalis Romani instructus in meliorem formam est redactus, clariore ordine digestus et in unicum textum contractus, ex altera parte aliquae quoque introductae sunt peculiares modificationes, quibus Officium divinum paulisper contrahitur. Hoc siquidem quamplurium Episcoporum erat in votis, intuitu praesertim multorum sacerdotum, qui in dies magis magisque pastoralibus sollicitudinibus onerantur. Hos autem et omnes qui Officio divino persolvendo tenentur, paterno hortamur animo, ut si quid in eodem divino Officio breviatur, hoc maiore diligentia ac devotione compensetur. Cum porro lectio quoque sanc-

torum Patrum aliquantisper quandoque minuatur, omnes enixe clericos hortamur, ut volumina Patrum, tanta sapientia ac pietate referta, assidue prae manibus legenda ac meditanda teneant.

Quae autem per Nostras has Litteras, motu proprio datas, decrevimus ac statuimus, rata atque firma sunto, contrariis quibuslibet minime obstantibus, peculiarissima quoque et individua mentione dignis.

Datum Romae, apud S. Petrum, die 25 mensis Iulii, anno 1960, Pontificatus Nostri secundo.

IOANNES PP. XXIII

ACTA SS. CONGREGATIONUM

Sacra Congregatio Consistorialis

COLUMBIAE

DECRETUM

(A.A.S. 52 [1960] 164)

DE REGIMINE VICARIATUS CASTRENSIS

Cum Romano Pontifici nihil gratius, nihil optabilius sit quam ut in catholico Orbe quae ad fidem et pietatem quaeque ad ecclesiasticorum Institutorum regimen pertinent rectius disponantur, SS.mus Dominus Noster Ioannes, Divina Providentia PP. XXIII, Vicariatus Castrensis Columbiae administrationi satius consulere cupiens, de consilio infrascripti Cardinalis S. Congregationis Consistorialis Secretarii, de plenitudine Apostolicae potestatis, quae sequuntur decernit.

1. Vacante, qualibet ex causa, officio Vicarii Castrensis, nisi aliter ab Apostolica Sede provisum fuerit, regimen Vicariatus Castrensis Columbiae, usquedum novus Archiepiscopus Bogotensis muneris possessionem ceperit, penes Cappellanum Generalem, seu Maiorem, si adfuerit, esto, secus penes Cappellanum, vulgo « primero », qui, ad normam canonis 106, 3° C. I. C., ceteros praecedit.

2. Qui autem Vicariatus Castrensis regimen tunc assumpserit omnes et solas habebit facultates quae — congrua congruis referendo — Vicario Capitulari, iure communi, competunt, eiusdemque obligationibus obnoxius erit.

Ipsius praesertim erit de assumpto munere S. Congregationem Consistorialem monere ab eaque instructiones impetrare.

3. Causas subditorum Vicariatus Castrensis Columbiae, sive contentiosas inter ipsos sive criminales, tribunal metropolitanum Ordinarii Medellensis in prima instantia, tribunal vero metropolitanum Ordinarii Bogotensis in altera instantia pertractabit.

Ad haec exsecutioni mandanda Sanctitas Sua Exc. P. D. Iosephum Paupini, Archiepiscopum titularem Sebastopolitanum in Abasgia et in Columbia Nuntium Apostolicum, deputare dignata est, necessariis et opportunis ei tributis facultatibus etiam subdelegandi ad effectum de quo agitur quemlibet virum in ecclesiastica dignitate constitutum, atque onere imposito ad S. Congregationem Consistorialem quam primum transmittendi authenticum exemplar actus peractae exsecutionis.

Quibus super rebus praesens edi iussit Consistoriale Decretum, perinde valiturum ac si Apostolicae sub plumbo Litterae datae fuissent.

Datum Roma, ex Aedibus S. Congregationis Consistorialis, die 29 mensis Decembris anno 1959.

✠ MARCELLUS Card. MIMMI, Ep. Sabinen. et Mandelen., *a Secretis*

L. ✠ S.

† Iosephus Ferretto, Archiep. Serdicen. *Adsessor*

DECRETUM

(A.A.S. 52 [1960] 410)

De clericis ex America Latina necnon ex Insulis Philippinis in Americam Septemtrionalem emigrantibus.

Ad fovendam ecclesiasticam disciplinam sacerdotum qui ex America Latina necnon ex Insulis Philippinis quacumque de causa, studiorum ratione non excepta, in Americam Septemtrionalem se conferunt, ad tempus vel in perpetuum permansuri, Sacrae huic Congregationi visum est pro iis easdem proferri leges quae vi Constitutionis Apostolicae « *Exsul Familia* » art. 3, tit. alt. (*A. A. S.* XLIV (1952) pp. 693-694) pro sacerdotibus, qui ex Europa vel Mediterraneis oris ad exteras transmarinas regiones migrare desiderant, statuuntur.

Ideoque postac: § 1. 1) Unius Sacrae Congregationis Consistorialis est sacerdotibus, qui ex America Latina vel ex Insulis Philippinis ad exteras has regiones: Status Foederatos Americae Septemtrionalis et Canadensem Dicionem, per quodvis temporis spatium, sive breve sive longum sive indefinitum, aut in perpetuum, migrare desiderent, licentiam proficiscendi ibique manendi aut diutius commorandi concedere.

2) Nuntii, Internuntii et Delegati Apostolici eandem licentiam concedere poterunt sacerdotibus illius nationis, apud quam legatione stabili funguntur, dummodo huiusmodi facultas eisdem attributa sit et reservata.

§ 2. 1) Quam licentiam obtinere debent sacerdotes, de quibus in § 1 n. 1), ut, servatis ceteris de iure servandis, alienae dioecesi in regionibus transmarinis incardinentur.

2) Eadem licentia religiosi quoque indigent, nisi agatur de iis qui a Superioribus ad alias religionis suae domus mittantur; pariterque exclaustrati durante exclaustrationis tempore; necnon saecularizati ab Episcopo benevolo, sive pure et simpliciter sive experimento, recepti.

§ 3. Haec autem licentia, firmis ceteris legibus in decreto *Magni semper negotii* statutis, ne concedatur nisi certo constet:

1) de bono oratoris vitae testimonio;

2) de iusta et rationabili migrandi causa;

3) de consensu tum Episcopi *a quo* discedit, aut Superioris si agatur de religiosis, tum Episcopi *ad quem* accedit;

4) de habito Sacrae Congregationis Concilii indulto si agatur de parochis, quoties absentia ultra duos menses protrahi debeat.

§ 4. Sacerdotes sive saeculares sive religiosi qui, obtenta praedicta migrandi licentia, de una in alteram dicionem demigrare desiderent, nova indigent licentia.

§ 5. Sacerdotes qui, his legibus non servatis, temere arroganterque demigraverint, suspensi a divinis ipso facto maneant: qui nihilominus sacris (quod Deus avertat) operari audeant, in irregularitatem incidant: a quibus poenis absolvi non possint nisi a Sacra hac Congregatione (Decretum *Magni semper negotii,* 30 Decembris 1918, III, 16 - *A. A. S.*, XI (1919) p. 43).

Quae, in Audientia diei 13 mensis Februarii huius anni SS.mo D. N. Ioanni D. P. PP. XXIII ab infrascripto Cardinali a Secretis Sacrae huius Congregationis relata, Summus Pontifex rata habuit et confirmavit ac praesens ad rem Decretum expediri iussit.

Datum Roma, ex Aedibus Sacrae Congregationis Consistorialis, die 13 mensis Februarii 1960.

✠ MARCELLUS Card. MIMMI, Ep. Sabinen. et Mandelen., *a Secretis*

L. ✠ S.

† Iosephus Ferretto, Archiep. Serdicen., *Adsessor*

Sacra Congregatio Concilii

DECRETUM

(A.A.S. 52 [1960] 985)

NOVUS INDEX STATUITUR DIERUM FESTORUM, QUIBUS INEST OBLIGATIO LITANDI SACRUM PRO POPULO.

Cum in novas Rubricas Breviarii et Missalis editas post Litteras Apostolicas « *Rubricarum instructum* » diei 25 mensis Iulii 1960 per Decretum Generale Sacrae Rituum Congregationis « *Novum rubricarum Breviarii ac Missalis romani codicem* » diei 26 mensis Iulii 1960, quaedam variationes circa dies festos inductae fuerint, nonnulli Ordinarii locorum per varias Regiones constituti a Sacra Congregatione Concilii expostulaverunt ut, ad dubii atque perplexitatis occasionem auferendam circa dies, quibus est applicandum Sacrum pro populo, congrua aliqua ratio iniretur.

His itaque votis annuens, Sacra Congregatio Concilii, de mandato Summi Pontificis Ioannis XXIII feliciter regnantis, indicem taxativum qui sequitur festorum, quibus, iuxta praescripta canonum 339 § 1 et 466 § 1 Codicis Iuris Canonici, in universa Ecclesia a die 1 Ianuarii 1961 inest obligatio litandi Sacrum pro populo, conficiendum statuit; idest:

FESTA DE PRAECEPTO

Dominicae I et II Classis.

Alia Festa I Classis in Calendario Ecclesiae Universae:

1. Nativitas Domini — 2. Dies octavus Nativitatis Domini — 3. Epiphania Domini — 4. Ascensio Domini — 5. Festum SS.mi Corporis Christi — 6. Conceptio Immaculata B. Mariae Virginis — 7. Assumptio B. Mariae Virginis — 8. Festum S. Ioseph, Sponsi B. M. V.

— 9. Festum SS. Petri et Pauli Apostolorum — 10. Festum Omnium Sanctorum.

FESTA NON DE PRAECEPTO

I Classis in Calendario Ecclesiae Universae:

1. Festum SS.mi Cordis Iesu — 2. Festum Pretiosissimi Sanguinis D. N. I. C. — 3. Annuntiatio B. Mariae Virginis — 4. Festum Sancti Ioseph Opificis — 5. Dedicatio S. Michaëlis Archangeli — 6. Nativitas S. Ioannis Baptistae.

I Classis in Calendariis particularibus:

7. Festum Patroni principalis Nationis — 8. Festum Patroni principalis Regionis seu Provinciae sive ecclesiasticae sive civilis — 9. Festum Patroni dioecesis — 10. Anniversarium Dedicationis Ecclesiae Cathedralis — 11. Festum Patroni principalis loci seu oppidi vel civitatis — 12. Anniversarium Dedicationis Ecclesiae propriae — 13. Titulus Ecclesiae propriae.

II Classis:

14. Nativitas B. Mariae Virginis — 15. Purificatio B. Mariae Virginis — Festa natalica Apostolorum et Evangelistarum, scilicet: 16. Festum S. Andreae — 17. Festum S. Thomae — 18. Festum S. Ioannis — 19. Festum S. Mathiae — 20. Festum S. Marci — 21. Festum SS. Philippi et Iacobi — 22. Festum S. Iacobi — 23. Festum S. Bartholomaei — 24. Festum S. Matthaei — 25. Festum S. Lucae — 26. Festum SS. Simonis et Iudae.

Contrariis quibuscumque non obstantibus.

Datum Romae, die 3 Decembris 1960.

P. Card. Ciriaci, Praefectus

L. ✠ S.

P. Palazzini, *a Secretis*

Annotationes

Prooemium Decreti asserit factum quarundam mutationum inductarum in calendarium liturgicum relate ad dies festos. Sic implicite innuitur motivum Decreti; siquidem Missarum pro populo dicendarum obligatio, de qua in eo agitur, in iure alligatur praecise diebus festis de praecepto, inter quos aliquae mutationes evenerunt.

Inde factum est ut Ordinarii locorum ex diversis regionibus ad Sacram Congregationem Concilii recurrerint, rogantes ut ipsa, pro sua competentia circa « universam disciplinam cleri saecularis populique christiani » (c. 250, § 1), novam ordinationem determinaret dierum in quibus Missa pro grege applicanda sit. Et sane, vel summis oculis perlustranti calendarium *Breviarii* et *Missalis romani*, statim apparet e calendario expunctum esse festum S. Crucis (3 mai) et ad commemorationem reductum esse festum S. Silvestri I, Papae et Confessoris (31 decembris); quae festa olim fuerunt de praecepto, et consequenter animarum pastoribus importabant obligationem celebrandi Missam pro populo.

Ex hac iam ratione necessaria reddebatur aliqua ordinatio nova circa dies in quibus urgeat celebratio Missae pro populo. Sed congruum videbatur quod, occasione arrepta, totum institutum de Missis pro grege ex integro ordinaretur. Quod de mandato Summi Pontificis Congregatio Concilii alacri animo aggressa est et in hoc Decreto perfecit.

Missa pro populo, vel etiam pro grege, dicitur ea quam pastores animarum debent applicare pro fidelibus sibi commissis determinatis diebus, vi officii seu muneris suscepti, sine stipendio stricte sumpto.

Obligationem ex iure divino derivari tradunt tum CONCILIUM TRIDENTINUM, sess. 23, cap. 1 de ref., tum BENEDICTUS XIV, Const. « *Cum semper oblatas* » (*Fontes I. C.*, I, n. 345, p. 825), tum PIUS IX, Epist. Encyclica « *Amantissimi Redemptoris* » (*Fontes I. C.*, II, n. 524, p. 922-923) et exinde alia pontificia documenta et

resolutiones S. Congregationis Concilii, quae, dum originem divinam huius muneris pastoralis attestantur, illud ex parte presbyteris commissum atque determinatum ex lege ecclesiastica addunt (cf. *A.S.S.* 1 (1865) 389; 5 (1869) 138 etc.). Et sane, attestante S.to Paulo, « omnis Pontifex ex hominibus assumptus, pro hominibus constituitur ... ut offerat dona et sacrificia pro peccatis » (*Hebr.* 5, 1). Nec solum in Novo, sed etiam in Antiquo Testamento; in quo, inter alios, praeclarissimus sacerdos Samuel sentiebat hoc officium gravissimum sui muneris: « Absit autem a me hoc peccatum in Dominum, ut cessem orare pro vobis » (*1 Sam.* 12, 23).

Cognoscendae tamen huius obligationis primus fons scriptus in *Codice* commemoratur Concilium Tridentinum; nec facile erit alios fontes antiquiores universales referre. Fortasse quia usus olim ferebat communiter ut sacrificium Missae plerumque pro populo et universa Ecclesia offerretur (cf. *Fontes I. C.*, n. 345, p. 826, § 6); unde supervacanea apparuisset quaelibet lex urgens applicationem fieri solitam. Recentioribus demum temporibus, quando applicatio Missarum ad fines particulares invaluit, legislatio ecclesiastica urgens pastoribus animarum missas aliquoties applicandas pro grege opportune tradita est, eaque ad dies festos restricta.

Quinam sint pastores animarum sic obligati, determinatur praesertim c.bus 306; 339, § 1; 466, § 1; et pro quibusdam casibus controversis declaratum est a S. Congregatione Concilii. Sunt, autem, praeter Ordinarios locorum, parochos et quasi-parochos in citatis canonibus relatos, etiam Administrator apostolicus permanenter constitutus (c. 315, § 1), Vicarius Capitularis (c. 440), Abbates et Praelati nullius (c. 323, §), Vicarii paroeciales (c. 471, § 4) et oeconomi (c. 473, § 1), parochi emigrantium (*A.A.S.* 44 [1952] 700), rectores stationum ab omni paroecia independentium (*A.A.S.* 11 [1919] 46-51), Vicarii paroeciales plena potestate gaudentes cum proprio territorio a qualibet paroecia seiuncto (*A.A.S.* 25 [1933] 436-438). Insuper, Episcopi titulares, Superiores religiosi, cappellani castrenses, navigantium etc. convenienter ap-

plicabunt interdum Missam respective pro dioecesi titulari vel suis subditis; immo cappellani castrenses possunt ad hoc obligari a Vicario Generali Castrensi in certis casibus (*A.A.S.* 43 [1951] 564, XI).

Obligationem esse personalem simul atque realem et localem satis constat ex iteratis declarationibus S. Cong. Concilii (cf. *A.A.S.* 3 [1867] 97-98; 4 [1868] 44; 7 [1872] 192 etc.) et ex communi sententia moralistarum in praescriptis *Codicis* et in illis inspirata declarationibus; inter quas notare iuvat binas resolutiones S. Congregationis Concilii, alteram prohibentem applicationem per turnum ea ratione ut, in unico templo quo utantur plures paroeciae singulis diebus praescriptis non unica, sed tot applicentur Missae quot sunt parochi et paroeciae illuc concurrentes (*A.A.S.* 10 [1918] 285), alteram condemnatem usum alternandi inter parochum et coadiutorem Missam paroecialem cum homilia applicatam pro populo (*A.A.S.* 4 [1868] 44), frequenti ad eam concurrente.

Sed his praemissis, dicendum est praesertim de obligatione temporali; id est, de diebus quibus urget pastoribus obligatio applicandi Missam pro populo. Neque enim ulla lege tenentur ad Missam cotidie celebrandam, neque ad eam cotidie celebratam semper pro populo applicandam.

In hac re statim distinguendum est inter missionarios, qui ex missione seu delegatione S. Sedis praecones tantum sunt divini verbi ac dispensatores mysteriorum Dei (cf. *A.S.S.* 1 [1865] 410), et Episcopos ac parochos aliosque animarum pastores in Ecclesia plene iam constituta. Illi ex iure divino minime sunt obligati ad celebrandam Missam pro populo. Congruum est, autem, ut eam interdum ea intentione applicent. Et lex ecclesiastica, satis recens, eos norma mitiore ad hanc applicationem decies in anno in festis de praecepto sollemnioribus faciendam constrinxit, quando anno 1917 *Codex* promulgatus est (c. 306; 466, § 1; cf. *A.S.S.* 24 [1891/92] 511-512).

Episcopi, parochi aliique in iure parochis aequiparati quoad officia pastoralia, obligationem applicandi Missam pro populo a tempore saltem Benedicti XIV — in concreto ab edita memorata Constitutione « *Cum semper oblatas* », 19 augusti 1744 — non habent cotidie aut quotiescumque celebraverint urgentem, etsi pinguibus redditibus sint dotati, sed circumscriptam ad dies dominicos aliosque per annum festos de praecepto (cf. BENEDICTUS XIV, *l. c.*, p. 826).

Dies festi de praecepto apud Benedictum XIV erant illi qui in Calendario Ecclesiae universalis tunc temporis vigebant, post reformationem et unificationem calendarii festorum inductam ab Urbano VIII anno 1642. Nimirum, multiplicatis paulatim in diversis regionibus festis mysteriorum D. N. Iesu Christi ac B. Mariae Virginis, quibus addebantur alibi alia festa, S. Ioannis Baptistae, S. Michaëlis, SS. Apostolorum etc., tandem in magna parte Ecclesiae, notabili conformitate, celebrabantur plura nimis festa: 28 in Imperio Caroli Magni secundum eius Capitularia (*Mon. Germ. hist.*, Capitularia, I, 179); inter 30 et 40 in provinciis Europae centralis et meridionalis (cf. MANSI, *Amplissima collectio Conciliorum*, 20, 779-780; 22, 1136; 23, 547-548. 764 etc.); 50 circiter in Oxford, sublata tamen in pluribus obligatione abstinendi ab operibus servilibus et imposita sola assistentia ad servitia religiosa, sicut alibi etiam mos ferebat.

Tantus numerus festorum, nedum ad religiositatem fidelium augendam, potius ad vitia et ad ludos atque expensas perniciosas conferebat; adeo ut « quod pro honore Dei et pro animarum salute fuit sapienter institutum, vertitur in contumeliam eius et salutis detrimentum », sicut querebatur GERSON a. 1408 coram Concilio Remensi (MANSI, *op. cit.*, 26, 1605). Inde tendentia in pluribus nationibus ad reducendum numerum festorum, sicut pro Germania v. gr. exsecutus est a. 1524 in Concilio Ratisbonensi Legatus Pontificius Campeggio (MANSI, *op. cit.*, 32, 1088).

Constitutio « *Universa* », ab URBANO VIII 13 septembris 1642 data, practice abstulit ab Episcopis facul-

tatem inducendi nova festa particularia, sicut et hodierno iure expresse statuitur canone 1244, § 1. Festa autem in posterum ab Ecclesia universali observanda determinavit, praeter dies dominicos, illa quae nunc quoque praescribuntur observanda in c. 1247 — excepto festo Immaculatae Conceptionis a Clemente XI deinde addito — et 26 alia nunc suppressa (cf. *Fontes I. C.* I, n. 226, p. 248, § 2), quorum catalogum sic expressit S. Congr. Concilii a. 1919 in responso ad multorum interrogationem :« Feriae II et III post Dominicam Resurrectionis D. N. I. Ch., et Pentecostes; — dies Inventionis S. Crucis; — dies Purificationis B. Mariae Virginis; — dies Annuntiationis B. Mariae Virginis; — dies Dedicationis S. Michaëlis Archangeli; — dies Nativitatis S. Ioannis Baptistae; — dies SS. Apostolorum: Andreae, Iacobi, Ioannis, Thomae, Philippi et Iacobi, Bartholomaei, Matthaei, Simonis et Iudae, Matthiae; — dies S. Stephani Protomartyris; — dies SS. Innocentium — dies S. Laurentii martyris; — dies S. Silvestri papae; — dies S. Annae Matris B. M. V.; — dies S. Patroni Regni; — dies S. Patroni loci » (*A.A.S.* 12 [1920] 42).

Saeculis subsequentibus ex multis regionibus, ex Hispania praesertim sub pontificatu Benedicti XIV, petitiones fiebant, quibus ulterior festorum reductio intendebatur, id quod ab eodem Pontifice eiusque successoribus benigne excipiebatur. Inde evenit, ut in multis locis memoria festorum Ecclesiae universalis non accurate cognosceretur, cum *Codex* determinaverit Missam pro populo urgere « festis diebus de praecepto, etiam suppressis » (c. 339, § 1). Proinde necesse fuit, ut decretum S. Congr. Concilii illos dies recenseret, de quibus supra dictum est. Pontifices complures, imprimis Benedictus XIV et Pius IX, constanter inculcaverant pastoribus animarum obligationem celebrandi pro populo omnibus diebus festis pro Ecclesia universali praescriptis, licet multi illorum dierum alicubi ex dispensatione pontificia vel vi alicuius Concordatus, ut in Gallia (9 aprilis 1802), legitime non agerentur ut festi. Benedictus XIV rationem invocabat quae nunc non amplius attenditur; quia iuxta eam Missa

pro populo non esset dicenda nisi diebus dominicis et illis festis quae nunc vigent pro Ecclesia universali, vel etiam pro ecclesiis particularibus. Aiebat enim: « ii qui animarum curam exercent, Sacrificium Missae pro Populo celebrent atque applicent in Dominicis aliisque per annum diebus Festis de Praecepto, quum praedicti Dominici, aliique Festi dies, ii sint, in quibus iuxta praeceptum Concilii Tridentini, sess. 5, cap. 2, et sess. 24, cap. 4 quilibet animarum curae praepositus Populum sibi commissum salutaribus verbis pascere debet, docendo ea quae scire omnibus necessarium est ad salutem; iidemque sint dies, de quibus eadem Sancta Synodus statuit, ut moneat Episcopus Populum diligenter, teneri unumquemque Parochiae suae interesse, ubi commode id fieri potest, ad audiendum Verbum Dei, et quibus Parochi Subditos suos in Doctrina Christiana erudire debent, iuxta id quod a praedicto Concilio in citat. cap 4 Episcopis praecipitur, ut nempe saltem Dominicis, et aliis festivis diebus Pueros in singulis Parochiis, Fidei rudimenta et obedientiam erga Deum et Parentes, diligenter ab iis, ad quos spectabit, doceri curent » (Epist. Encycl. « *Cum semper oblatas* »: *Fontes I.C.* I, n. 345, p. 826-827).

Obligationem applicandi Missam pro grege in festis particularibus, dum haec festa fuerunt de praecepto, facilius admittebant parochi. Cum autem haec quoque reducebantur per dispensationem, desuetudo applicandi Missam in festis universalibus suppressis, contra quam vehementem extollebat vocem Pius IX (cf. *Fontes I. C.*, II, n. 524 p. 923)) magis in his festis particularibus suppressis invalescebat, disparente etiam eorum memoria. Principium tamen in disciplina ecclesiastica traditum « iisdem festis diebus quibus populus Missae interesse debuit omnes animarum curam gerentes ad Missam pro populo celebrandam et applicandam esse obligatos », in illis casibus specialibus valere dicendum erat. Dubitantibus tamen nonnullis, quaestio apud S. Congr. Concilii proposita fuit a Cardinali toletano; quam declaratio eiusdem Congregationis subsecuta est, obligationem applicandi Missam pro populo exsistere etiam pro diebus

festis suppressis, olim ex iure particulari de praecepto (*A.A.S.* 22 [1930] 521), quales in Hispania, unde quaesitum processerat, videntur fuisse festa SS. Augustini, Ferdinandi Regis, Antonii Patavini, Isidori Agricolae.

Redintegratis in *Codice* (c. 1247) ad catalogum festorum de praecepto pro universa Ecclesia duobus festis Ss.mi Corporis Christi et S.ti Ioseph, quae S. Pius X anno 1911 suppresserat (*A.A.S.* 3 [1911] 305), Catalogus integer 88 dierum in quibus Missa a pastoribus animarum erat celebranda et applicanda sic integrabatur: a) 52 dies dominici; b) 10 festa: Nativitatis, Circumcisionis, Epiphaniae, Ascensionis, Ss.mi Corporis Christi, Imm. Conceptionis et Assumptionis B. Mariae Virginis, S.ti Ioseph, SS. Petri et Pauli, Omnium Sanctorum; c) 26 alii dies, quos ex Const.: «*Universa*» depromptos a S. Congr. Concilii superius exscripsimus.

Ex festis in actuali iure suppressis complura nullam specialem venerationem retinent apud populum christianum, ut sunt potissimum feria II et III post Resurrectionem et Pentecostes, festum S.ti Laurentii et S. Annae; aliud, sicut dictum est, reductum habetur in calendario reformato ad meram commemorationem (S. Silvester); aliud denique expunctum est (Inventio S.tae Crucis), utpote quod titulo diverso celebratur in festo Exaltationis eiusdem Ss.mae Crucis Domini. Reformatio, igitur, in catalogo Missarum pro populo commendabatur et ex parte fiebat necessaria.

Sancta Sedes potuisset, iuxta principium olim traditum et supra relatum, dies Missae pro populo celebrandae reducere ad 62 qui in actuali calendario sunt de praecepto in Ecclesia universali, additis festis item de praecepto in particularibus Ecclesiae provinciis. Sed talis reductio sensibiliter minuisset orationes et sacrificia oblata pro Corpore Christi mystico. Oportebat numerum retinere, sicut per saecula sustentatum est a S. Congregatione Concilii contra resistentiam multorum post Tridentinum, et a R. Pontificibus contra negligentias plu-

ribus in locis subsequentes suppressionem quorundam festorum.

Aliunde congruum videbatur quod dies praescripti ad celebrandum pro populo ubique iidem haberentur, tum inter eos populos qui — Gallia, Lusitania, Belgium etc. — ex indulto pontificio aliqua festa universalia non observant, tunc inter reliquos, sive omnia et sola festa communia retineant, sive alia quaedam addant nationalia, provincialia, dioecesana, localia.

His omnibus sapienter provisum est in recenti ordinatione. Numerus octavus super octogesimum Missarum pro populo celebrandarum sancte retinetur. Dies autem ita ordinati sunt ut, praeter eos qui sunt de praecepto, illi fuerint electi quos Ecclesia vult ubique speciali sollemnitate rituali itemque populari esse celebratos.

Sunt autem praeter 52 dies dominicos et 10 festa de praecepto universalia, 13 festa liturgica I classis, quorum sex in calendario Ecclesiae universalis, sex in calendariis particularibus sollemniter commemorantur; quibus adduntur alia 13 festa II classis in calendario universali, selecta inter ceteras huius ritus propter venerabilem traditionem complurium saeculorum et significationem quam perpetuo retinere debent apud populum christianum: duo nimirum, mysteria Nativitatis et Purificationis B. Mariae Virginis ac festa natalitia Apostolorum et Evangelistarum.

Hac dispositione inducuntur, felici et gratissima innovatione pro populo christiano, festa Ss.mi Cordis Iesu a saeculo XVII in Ecclesia celebrati, Pretiosissimi Sanguinis a Pio XI et a Ioanne XXIII cultui fidelium ferventer commendati, S. Ioseph Opificis a Pio XII recentissime (a. 1955) non sine divino consilio innovati. Retinentur alia, Annuntiationis B. M. V., S.ti Michaëlis, S.ti Ioannis Baptistae, in pietate populari firmiter radicata. Festis autem patronorum nationis et loci adduntur alia similia quorum celebrationis conscientia inter fideles summe optanda videtur; festa nimirum patronorum etiam regionis seu provinciae sive ecclesiasticae sive civilis, dioecesis, necnon anniversaria dedicationis templi cathe-

dralicii et paroecialis proprii, itemque tituli propriae ecclesiae. Cum in enumerandis festis calendarii particularis dicitur « in festis patroni regionis seu provinciae sive ecclesiasticae sive civilis », significatio nobis est dubia, utrum scl. duobus illis diebus patronalibus Missa applicanda sit pro populo an uno tantum, eoque patrono provinciae ecclesiasticae, si habeatur. Textus suadet duas applicationes faciendas. At sic superatur numerus antea praescriptus; quod videtur alienum a mente S. Sedis.

Elenchus est taxativus ex expressa declaratione. Nulla igitur ulterior controversia circa festa de praecepto particularia, sive iam suppressa sive adhuc vigentia aut de novo inducenda. In eis, qua talibus, vacat obligatio celebrandi pro populo. Nullum quoque dubium circa satisfactionem eventualem plurium obligationum unica celebratione et applicatione, si nempe eodem die concurrant plures tituli, puta festa patronalia nationis, dioecesis et loci, titulus ecclesiae propriae, aut anniversarius dies dedicationis templi cathedralicii et proprii ac dies dominicus, vel plures paroeciae eidem commissae (cf. c. 466 § 2, discedens a priore disciplina, de qua cf. *Fontes I. C.*, III, n. 585, 9, p. 197).

Ex tenore decreti subsistere conicimus responsum a S. Congr. Concilii datum a. 1927 super dubio « utrum parochus qui, praeter propriam paroeciam, alteram aut plures alias in administrationem habeat, teneatur missam applicare pro populo tantum die festo suae paroeciae, an etiam in festis patronorum alterius vel ceterarum ». Affirmativae responsioni ad alteram partem datae, negata priore, omnino congruere videtur tenor actualis decreti, simpliciter iniungentis ut festo Patroni principalis loci missa pro populo celebretur. Loci, ut videtur, cuiuslibet, curae alicuius pastoris animarum commissi; proinde si parochus pluribus locis curandis praeficiatur, totidem missas patronorum localium pro populo celebrare debebit.

Indulta diversis dioecesibus antea concessa, quibus dispensantur parochi ab obligatione applicandi Missam pro populo, data facultate celebrandi pro intentionibus

particularibus stipendio accepto, hoc decreto minime censenda sunt revocata. Perdurant eadem ratione, eodem dierum numero et eisdem finibus in concessione definitis, qui ex veteri usu et traditione consulere solent sive paupertati ipsorum sacerdotum allevandae sive, frequentius, subveniendo necessitatibus seminarii dioecesani vel similis operis pii. Dies, autem, in quibus pro illis specialibus intentionibus Missae applicandae erunt, in posterum conformari debent catalogo recenter reformato.

MARCELLINUS ZALBA, S. I.

DECRETUM

(A.A.S. 52 [1960] 986)

DE SERVITIO CHORALI NOVO RUBRICARUM CODICI ACCOMMODANDO.

In Litteris Apostolicis « *Rubricarum instructum* » diei 25 mensis Iulii 1960 ad num. 3) edicitur: « Item statuta, privilegia, indulta et consuetudines cuiuscumque generis, etiam saecularia et immemorabilia, immo specialissima atque individua mentione digna, quae his rubricis obstant, revocantur ».

Quare Sacra Congregatio Concilii, de mandato Summi Pontificis Ioannis XXIII feliciter regnantis, statuit, ad servitium chorale quod attinet, ut locorum Ordinarii curent emendari statuta capitularia et abrogari praefata privilegia, indulta et consuetudines, quae dictis rubricis obstent.

Insuper declarat reductiones servitii choralis, quae a Sacra Congregatione Concilii fuerint concessae, adhuc vigere, si et quatenus praedictis rubricis haud obstent.

Petitiones autem reductionum servitii choralis vel earundem prorogationum a Capitularibus exarentur iuxta novas rubricas Breviarii et Missalis.

Contrariis quibuslibet haud obstantibus.

Datum Romae, die 3 Decembris 1960.

P. Card. CIRIACI, *Praefectus*

L. ✠ S. P. Palazzini, *a Secretis*

Sacra Congregatio Rituum

ROMANA ET ALIARUM

(A.A.S. 52 [1960] 360)

DECRETUM

De precibus post Missae celebrationem recitandis.

A nonnullis locorum Ordinariis Sacrae Rituum Congregationi quaesitum est, an Decretum n. 4305, diei 20 Iunii 1913, quod permittit preces in fine Missae omitti posse, quando Missa « cum aliqua solemnitate » celebratur, extendi possit etiam ad Missas sic dictas « dialogatas », quae fiunt iuxta Instructionem S. Rituum Congregationis, diei 3 Septembris 1958, n. 31.

Et Sacra Rituum Congregatio, audito etiam Commissionis Liturgicae suffragio, ita rescribendum censuit: *Affirmative, et ad mentem.*

Mens autem est: Preces sic dictas Leoninas omitti posse:

1. cum Missa celebretur pro Sponsis, aut occasione primae Communionis, Communionis Generalis, Sacrae Confirmationis, Sacrae Ordinationis, vel Religiosae Professionis;

2. cum Missam immediate ac rite subsequatur aliqua alia functio seu pium exercitium;

3. cum infra Missae celebrationem habeatur homilia;

4. cum fit Missa dialogata, diebus Dominicis et Festis tantum.

5. Insuper locorum Ordnarii permittere possunt ut praedictae preces dicantur lingua vernacula, textu ab ipsis approbato.

Facta demum de iis omnibus Sanctissimo Domino nostro Ioanni Papae XXIII per infrascriptum S. Rituum Congregationis Cardinalem Praefectum relatione, Sanctitas Sua Sacrae ipsius Congregationis rescriptum pro-

bare et confirmare benigne dignata est. Quibuslibet contrariis non obstantibus.

Die 9 Martii anno 1960.

✠ C. Card. CICOGNANI, *Praefectus*

L. ✠ S.

Henricus Dante, *a Secretis*

DECRETUM GENERALE

(A.A.S. 52 [1960] 596)

QUO NOVUS RUBRICARUM BREVIARII AC MISSALIS ROMANI CODEX PROMULGATUR.

Novum rubricarum Breviarii ac Missalis romani codicem, quem Ss.mus Dominus Noster Ioannes Papa XXIII, per Litteras Apostolicas « *Rubricarum instructum* », die 25 iulii huius anni *motu proprio* datas approbavit et huic S. Congregationi promulgandum mandavit, S. Rituum Congregatio, per hoc Decretum generale, et promulgat et promulgatum esse declarat, in novas Breviarii et Missalis romani editiones inserendum, et ab omnibus ad quos spectat, inde a die 1 ianuarii proximi anni 1961, servandum.

Ut autem libri liturgici qui in usu habentur adhuc adhiberi possint, rubricarum codici adduntur « Variationes » Breviariis et Missalibus necnon Martyrologio aptandis.

Ex aedibus S. Rituum Congregationis, die 16 iulii anni 1960.

✠ CAIETANUS Card. CICOGNANI, Ep. Tusculanus, *Praef.*

L. ✠ S.

Henricus Dante, *a Secretis*

DECLARATIO

(A.A.S. 52 [1960] 730)

De servandis in calendariis particularibus inde ab anno 1961.

Cum Summus Pontifex Ioannes XXIII per Suas Litteras Apostolicas « *Rubricarum instructum* » diei 25 iulii huius anni, *motu proprio* datas, statuerit ut « omnes ad quos spectat, quamprimum Calendaria et Propria, sive dioecesana sive religiosa, ad normam et mentem novae redactionis rubricarum et Calendarii conformari curent », haec S. Rituum Congregatio opportunas tradet instructiones circa Calendaria particularia et Officiorum atque Missarum Propria revisenda. Interim tamen opportunum ducit ea declarare quae, in calendariis particularibus, iam inde ab anno 1961, servanda erunt:

1. Ea omnia quae sub titulo « Variationes in Breviario et Missali romano ad normam novi codicis rubricarum » statuuntur, etiam in calendariis particularibus servanda sunt.

2. In calendariis, sive dioecesanis sive religiosis, omnia festa particularia interim retineantur, quae nunc in iisdem calendariis inscripta inveniuntur.

3. Gradus eorundem festorum indicetur iuxta normas quae nn. 1-4 *Variationum* habentur.

4. Ad festa *propria* quod attinet, eorumque gradum, stricte serventur ea quae nn. 42-46 novi codicis rubricarum statuuntur.

5. Quoad festa a Religiosis celebranda, in singulis dioecesibus, una cum clero dioecesano, servetur praescriptum n. 57 novi codicis rubricarum.

6. Festa *universalia* quae, iuxta nn. 5 et 8 *Variationum*, aut ad commemorationem reducuntur aut e calendario expunguntur, interim retinentur in calendario particulari, si in eodem calendario tamquam festa duplicia I aut II classis inscripta habentur.

7. Si festa particularia III classis careant lectione propria, quae communiter « contracta » dicebatur, serventur ea quae n. 221 *b* novi codicis rubricarum indicantur.

8. Episcopus dioecesanus statuat diem in quo, iuxta nn. 362, 364 et 449 novi codicis rubricarum, in ecclesia cathedrali et in ecclesiis collegiatis, dicatur Missa de anniversario electionis ipsius Episcopi, et in omnibus ecclesiis dioecesis dicatur oratio pro Episcopo.

Ex aedibus S. Rituum Congregationis, die 26 iulii anni 1960.

✠ CAIETANUS Card. CICOGNANI, Ep. Tusculanus, *Praef.*
L. ✠ S.

Henricus Dante, *a secretis*

ORDINATIONES

(A.A.S. 52 [1960] 732)

AD LIBRORUM LITURGICORUM EDITORES

circa editiones Breviarii ac Missalis romani iuxta novum rubricarum codicem conficiendas

Sanctissimus Dominus Noster Ioannes Pp. XXIII, per Suas Litteras « *Rubricarum instructum* », die 25 iulii huius anni 1960 *motu proprio* datas, mandavit ut S. Rituum Congregatio editoribus librorum liturgicorum rite approbatis «peculiares tradat instructiones » circa editiones Breviarii ac Missalis romani iuxta novum rubricarum codicem conficiendas.

Agitur enim de libris, quibus publicus Ecclesiae cultus ordinatur: consequitur, proinde, omnes editiones huiusmodi librorum in omnibus et per omnia, sive in textu sive in rubricis sive in ipsa cantus notatione, perfecte concordare debere cum exemplari authentico, quod ab hac S. Rituum Congregatione uti « typicum » declaratur.

Supremo igitur mandato obsecundans, haec S. Rituum Congregatio statuit:

1. Prouti in n. 4 praecitati *Motu proprio* edicitur, editores librorum liturgicorum, rite approbati et admissi, parare possunt novas Breviarii ac Missalis romani editiones, confectas iuxta novum rubricarum codicem, qui inde a die 1 ianuarii proximi anni 1961 vim habere incipiet.

2. *In parandis Breviarii romani editionibus,* haec servanda erunt:

a) Breviarium romanum edi poterit aut unico volumine comprehensum, quod communiter « Totum » appellatur, aut duobus voluminibus distinctum, quae simpliciter inscribentur « Tomus prior » et « Tomus alter ». Ex his autem, tomus prior partes comprehendat quae nunc in parte hiemali et verna exstant; alter autem quae in parte aestiva et autumnali.

b) *Partes introductorias* Breviarii romani, omnia scilicet quae Calendarium praecedunt, non licebit separatim ab ipso Breviario edere, sed primo saltem volumini erunt praeponendae.

c) Iuxta n. 5 *Motu proprio*, textus novi codicis rubricarum, Breviarium respiciens, scilicet *Rubricae generales* et *Rubricae generales Breviarii romani,* ipsi Breviario item praemittendus erit, nec licebit Breviarium absque huiusmodi textu imprimere; immo, si Breviarium pluribus disponatur voluminibus, singulis voluminibus integer rubricarum textus praemittendus erit. Quod valet quoque de *Calendario.*

d) *Ordinarium divini Officii* quod dicitur, cum, vi novi codicis rubricarum, ex integro reficiendum sit, singulis editoribus directe a S. Rituum Congregatione, typis cusum, transmittetur; et erit integre, absque ulla mutatione vel breviatione, singulis Breviarii voluminibus inserendum. Nihil vero obstat quominus ipsi editores, in commodum utentium, partes Ordinarii in Psalterio aut in Proprio iterum imprimant; aut quominus ipsum Or-

dinarium non primo loco, sed inter Proprium de Tempore et Proprium Sanctorum interserant. Quod valet quoque de Psalterio disponendo inter diversas voluminis partes.

e) *Ad Psalterium quod attinet,* editores libere adhuc adhibere possunt aut psalmorum textum iuxta « vulgatam » editionem, aut secundum interpretationem quae iussu Pii Pp. XII admissa est.

f) *Rubricarum specialium textus,* suis locis in Psalterio ceterisque Breviarii partibus inserendus, cum singulis editoribus ab hac S. Congregatione communicabitur.

g) Abhinc ubi desinat editio typica Breviarii clare indicandum erit. Editoribus tamen licebit, post finem huiusmodi partis typicae, alias addere preces et formulas, ut de more, Breviario utentibus utiles, dummodo textus sint ab auctoritate ecclesiastica rite approbati.

3. *In parandis autem Missalis romani editionibus,* haec serventur:

a) Ea omnia quae supra de parandis Breviarii romani editionibus statuta sunt, praesertim de textu rubricarum et Calendario praemittendis, de textu rubricarum specialium ab hac S. Congregatione accipiendo, omnino valent in parandis novis Missalis romani editionibus.

b) Ordo Missae una cum Canone, pro opportunitate, inter Proprium de Tempore et Proprium Sanctorum interseri potest.

c) Item, ubi desinat editio typica clare indicandum erit, quamvis, post huiusmodi partem typicam liceat alias addere partes utentibus utiles, modo, ut supra, sint ab ecclesiastica auctoritate rite approbatae.

4. Dignitas commercii librorum liturgicorum omnino exigit, ut editores rite approbati omnes, non ante iustum tempus, certatim, uti dicitur, venditionem novarum editionum incipiant. Proinde, haec S. Congregatio strictim mandat ne venditio ante diem 20 decembris huius anni 1960 inchoetur, ita ut quaevis iniusta perturbatio vitetur.

5. Denique, *pro hac vice tantum,* haec S. Rituum Congregatio ius sibi exclusivum reservat, singulas editiones Breviarii ac Missalis romani, quae ad normam novi codicis rubricarum conficientur, examinandi et « typicae » conformes esse declarandi.

Invitantur porro editores qui a Sancta Sede ad editiones liturgicas imprimendas et evulgandas admissi sunt, ut quamprimum huic S. Rituum Congregationi proprium nomen et locum indicent, una cum licentiae testimonio, ut ab eadem S. Rituum Congregatione tempestive ea omnia recipere possint quae, iuxta *Motu proprio* et has ordinationes, praescribuntur.

Ex aedibus S. Rituum Congregationis, die 26 iulii anni 1960.

✠ Caietanus Card. Cicognani, Ep. Tusculanus, *Praef.*
L. ✠ S.

Henricus Dante, *a secretis*

Sacra Congregatio Rituum

MONITO

(Osservatore Romano, 27 nov. 1960)

Questa S. Congregazione è stata informata che si va spargendo la voce che il nuovo Codice delle rubriche che, per precisa dichiarazione del Sommo Pontefice nel Suo *Motu proprio* del 25 luglio u. s., A. A. S. LII (1960) 593-95, dovrà andare in vigor col prossimo 1° gennaio 1961, possa essere applicato alla recita dell'Officio Divino sin da ora. Anzi, la stessa interpretazione è stata diffusa persino dalla stampa, come per es. nell'ultimo numero (48) della « Settimana del Clero », pubblicato a Roma con la data del 27 nov., pag. 2.

Per ovviare ai gravissimi abusi che da coteste errate interpretazioni possono derivare, questa S. Congregazione dichiara in tutta forma che, tenuto conto del can. 9 del Codice di Diritto Canonico e della precisa ed esplecita data del 1° gennaio 1961, stabilita nel *Motu proprio* ci-

tato, nn. 1 e 2, l'interpretazione surriferita è destituita di ogni fondamento giuridico; perciò, chi recitasse le Ore canoniche secondo le norme del nuovo Codice delle rubriche prima della data del 1° gennaio 1961, non soddisfarebbe all'obbligo canonico del Divino Officio.

Roma, 26 novembre 1960.

HENRICO DANTE, S. R. C. Segretario

DECLARATIO

(Osservatore Romano, 30 dec. 1960)

RECITATIO LAUDUM ANTICIPARI NON LICET

Cum circa interpretationem nn. 144 et 145 novi Codicis rubricarum dubium ortum sit utrum scilicet, post diem 1um ianuarium anni 1961, Laudes inde a tempore postmeridiano diei praecedentis, in recitatione *a solo* facta, adhuc liceat anticipari, haec S. R. C., ne in re quae directe ad publicam Ecclesiae precationem pertinet, remaneat incertitudo, necessarium esse duxit declarare:

1) N. 144 proprie et exclusive permittitur anticipatio Matutini, sive *in choro*, vel *in communi*, aut *a solo*.

2) N. 145 proprie et exclusive statuitur, recitationem Laudum, *in choro* et *in communi*, fieri posse tantummodo primo mane, id est, absque ulla anticipatione, recitationem vero *a solo*, quae similiter anticipari non licet, convenienter fieri eodem matutino tempore.

Romae, die 28 decembris 1960.

HENRICUS DANTE, S. R. C. Secretarius

DECRETUM

(A.A.S. 52 [1960] 987)

LAUDIBUS IN BLASPHEMIARUM REPARATIONEM NOVA ADDITUR INVOCATIO

URBIS et ORBIS

Sanctissimus Dominus noster Ioannes Divina Providentia Pp. XXIII, in Audientia die 12 Octobris mensis anno 1960 infrascripto Sacrorum Rituum Congregationis Cardinali Praefecto concessa, statuere benigne dignatus est, ut laudibus in blasphemiarum reparationem, quae incipiunt « Benedictus Deus » (italice: « Dio sia benedetto »), addatur invocatio: « Benedictus Sanguis eius pretiosissimus » (italice: « Benedetto il suo Preziosissimo Sangue »), et quidem post invocationem « Benedictum Cor eius Sacratissimum ».

Quibuslibet contrariis nihil obstantibus.

Datum Romae, ex aedibus Sacrae Rituum Congregationis, die 12 mensis Octobris, anno 1960.

✠ C. Card. CICOGNANI, Ep. Tusculanus, *Praefectus*

Henricus Dante, *a Secretis*

Approbantibus Superioribus Ecclesiasticis

P. Vincenzo Monachino S. I., Direttore responsabile

Typis Pontificiae Universitatis Gregorianae, 1961

FASCICULI INDEX ANALYTICUS

I. - Dissertationes et quaesita varia

II. - Monumenta

CONCILIUM, SYNODUS, CODEX IURIS CANONICI

Acta Sanctae Sedis 1 ian. - 31 mai. 1961

DISSERTATIONES
ET QUAESITA VARIA

MATERIA GRAVIS IN VIOLATIONE VOTI PAUPERTATIS

I

Consulenti doctrinam recentiorum scriptorum de re morali, dum disserunt circa quantitatem requisitam ad peccatum contra paupertatem religiosam, plura vehementer percellunt animum.

a) Sunt enim qui ieiunam et haud perspicuam tradunt expositionem, nullatenus aut insufficienter distinguentes inter violationem voti paupertatis et violationem iustitiae, vel tantummodo considerantes usurpationem bonorum domus religiosae cui sint adscripti violatores. Sic Pius van der Velden materiam censet gravem, « si religiosus aliquid surripiat e bonis conventus, vel conventui acquisitis, quotiescumque talis esset in filiis respectu parentum ...; ergo maior vel minor quantitas, pro maiori aut minori conventus sui opulentia »[1]. L. Fanfani-Fernández autem, in opusculo efformandis conscientiis religiosorum tironum destinato, asserit generatim exigi ad gravem violationem voti paupertatis religiosae eam ipsam materiam quae determinaretur pro filiifamilias furto. Et quantitatem certo levem proponit anno 1935 unam pesetam; certo gravem, vero, centum pesetas[2].

b) Sunt qui quaestionem brevi praecidant, nimia sobrietate definientes ad peccatum mortale contra votum

---

1 Pius van der Velden, O. F. M. Rec., *Principia theologiae moralis* (Tornaci [2]1875) I, n. 244.

2 L. I. Fanfani - H. Fernández, *Catecismo del estado religioso* (Barcelona 1935) c. 11, n. 162.

« ambae, iustitia et paupertas, respiciunt proprietatem, modo tamen contrario: prior, ut eam alteri serves sanctam; posterior, ut eam a te abicias. Quaestio igitur formaliter huc recidit: quanam quantitate fiat gravis *acquisitio qua talis* ». Quod aestimandum arbitratur « *ex condicione acquirentis,* i. e. ex condicione in qua ex sua professione versatur religiosus qui peccarit. Estne haec, ut in Societate Iesu, honesti sacerdotis, comparate ad honestum sacerdotem per se erit accipienda materiae gravitas » [8].

II

Nemo non videt normam gravitatis pro laesione voti paupertatis statutam, etiam quando eam desumunt a criterio quod statuitur pro violatione iustitiae in furtis, semper remanere satis vagam et incertam; immo, et interrogationibus pluribus apertam.

Si, enim, simpliciter et prout sonat admittatur norma: « generatim loquendo ea habenda est ut gravis materia, quae peccatum mortale in furto constituit » [9], dubia non pauca statim suppetunt. Nimirum, cum pecca-

---

[8] A. VERMEERSCH, *De religiosis Institutis et personis* (Brugis [2]1904) I, p. 173-174. Hanc doctrinam, uberius expositam in vol. II, Suppl. VI, c. 2, substantialiter admittit F. HÜRTH, *De statibus* (Romae 1946), n. 106. Similiter E. FINE, *Iuris regularis tum communis tum particularis quo regitur Societas Iesu declaratio* (Prati 1909), c. 8, n. 30. Item VICTORIUS AB APPELTERN, O. M. Cap., dum ad verbum refert rectius dici « eam materiam esse gravem, quae pro condicione in qua ex sua professione versatur religiosus, existimetur esse notabilis pretii; quia haec regula, utpote universalis, convenit omni paupertatis voto et cuicumque laesioni eiusdem »: *Compendium praelectionum iuris regularis*, pars III, c. 2, q. 170. Admittit quoque et sequitur M. ZALBA, tum in editionibus ab eo curatis *Summarii theologiae moralis* ab A. AREGUI primum editi (cf. *Compendio de teologia moral*[5], n. 500, 3), tum in suo opere *Theologiae moralis compendium* (Madrid 1958) II, n. 456. Pariter A. TABERA ARAOZ, *Derecho de los religiosos* (Madrid [3]1957), n. 289, 2.

[9] GABRIEL DE VARCENO, O. M. Cap., *Compendium theologiae moralis* (Aug. Taurin. 1887) p. 202.

tum contra votum paupertatis non habeat pro obiecto materiali bona monasterii solummodo, eritne gravis laesio voti si quis auferat et sibi appropiet a paupere mendicante hodierno quantitatem 30 pesetarum, quae gravis haberi potest in ratione furti erga mendicum? Eritne, ex adverso, leve peccatum contra religionem in ablatione a ditissimo viro et in independenti dispositione 950 pesetarum, quae rationabiliter haberi possunt iuxta aliquos ut furtum non certo grave? Num haec quantitas augeri poterit ad 1400 pesetas sine gravi laesione voti paupertatis, si religiosus monasterii opulenti subtrahat e capsa communi talem summam, ut eam tradat amico? Qua ratione idem votum eademque paupertatis professio possit adeo dependere quoad gradum urgentiae materialis a condicione naturali magis vel minus liberali Superioris pro tempore exsistentis, necnon ab statu oeconomico domus religiosae in qua et ex cuius bonis fiant usurpationes a religiosis incolis, quos Superior semper vult tendentes ad perfectionem iuxta regulas? Cur, praesertim, proponitur eadem norma pro omnibus familiis religiosis in hac materia, quae iure naturali nullatenus est determinata, si singulae familiae vovent paupertatem iuxta proprias Constitutiones, quae sane typum et mensuram paupertatis peculiarem solent describere et imponere?

Non est igitur mirum, sed omnino sperandum, quod diversi auctores applicentur ad determinationem et explicationem ulteriorem faciendam illius formulae, aequiparantes quantitatem gravem circa paupertatem religiosam et materiam gravem in furto.

a) In ea autem determinatione et explicatione, plures imprimis remittunt ad ipsas Constitutiones [10] sic

---

[10] Sic v. gr. E. GÉNICOT - I. SALSMANS, *Institutiones theologiae moralis* (Brux. [16]1946) II, n. 98 (= [[17]1951] II, n. 807); I. CREUSEN - M. ZALBA, *Religiosos y religiosas* (Bilbao 1947) n. 274; I. BIEDERLACK - M. FÜHRICH, *De religiosis* (Oeniponte 1919), c. 6 a. 1, § 1; A. TABERA ARAOZ, *Derecho de los religiosos,* n. 289; L. I. FANFANI, *Manuale theorico-practicum theologiae moralis* (Romae 1950) III, n. 350; I. B. FERRERES - A. MONDRÍA, *Compendium theologiae moralis* (Barc. [17]1950) II, n. 206; F. HÜRTH, *De statibus,* n. 106; M. ZALBA, *Th. mor. compend.,* II, n. 456.

implicite agnoscentes normam uniformem et communem pro laesione voti paupertatis religiosae non esse supponendam, sed potius indolem seu gradum paupertatis quem singula Instituta profiteantur esse considerandam; hanc, enim, intelligere et suscipere solent iuxta proprias singuli Constitutiones seu regulas.

b) Alii nituntur determinare materiam quae dicitur gravis contra iustitiam, ut sic declaretur aliquatenus laesio gravis contra religionem in violato voto paupertatis. Quod diversis considerationibus perficiunt:

α) Sunt qui summam mathematice approximativam proferant, eamque talem quae referat quantitatem ab ipsis alibi vel ibidem propositam ut non absolute vel ut absolute gravem. Sic, Aertnys-Damen approbat criterium *plurium,* assignantium summam decem circiter francorum, quae habetur ab ipso tanquam materia gravis in furto, non quidem absolute, sed respectu eorum ditiorum qui aliquantum superant condicionem oeconomicam mediam [11]. I. Ninzatti proponit summam sex argenteorum, quam alibi censuerat efficere quantitatem relative gravem in furtis adversus valde opulentos, qui tamen non sunt valde divites, nedum magnates [12].

β) Alii, omissis numeris, manifeste cogitant de materia gravi non absolute spectata, sed relative, sive ad statum oeconomicum domus religiosae, vix unquam opulentum, sive ad condicionem hominum ditiorum, a quibus norma sumatur pro domibus religiosis mediocriter divitibus. Sic, v. gr. Gabriel de Varceno scribit: « Monasteria mediocriter opulenta communiter dominis privatis sat opulentis aequiparantur. Hinc eadem ac pro illis mensura generatim materiam gravem constituit. Si autem sint valde opulenta, maior quantitas requiri-

---

[11] Cf. I. Aertnys - C. A. Damen, *Theologia moralis* (Taur. - Romae [13]1939) I, n. 1207, 2°, in relatione ad n. 717, ubi materiam absolute gravem proponit 30 francos. Alia ratione in idem criterium recidunt alii, ut Bucceroni, de quibus inferius dicemus.

[12] I. Ninzatti, *Theologia moralis* (Venezia [3]1885) I, n. 910 (= [Taur. [4] 1887] n. 906), in relatione cum n. 476 (= [4]n. 467), ubi quantitatem gravem adversus valde divites statuit octo argenteos; adversus magnates, decem.

tur »[13]. Lehmkuhl, haud diverso criterio, dum rationem habendam dicit « divitiarum vel penuriae ipsius monasterii », ita eam intelligit ut monasterio mediocriter diviti eam quantitatis gravis determinationem adscribat « quae fit quoad virum privatum simpliciter divitem »; vel, ut alibi generalius tradit, paulo elevatiorem quam pro homine privato mediocris fortunae[14].

Haec determinatio iam ideo non satisfacit quod facile ostenditur insufficiens, etiam abstrahendo ab incommodo criterii unitarii pro omnibus Religionibus. Non patet, imprimis, cur Superior praesumendus sit aequaliter invitus erga tres subditos religiosos, quorum primus auferat centum pesetas ex bonis monasterii, alter totidem arripiat a paupere, tertius similem summam dilapidet consummative ex proprio patrimonio. Accedit autem quod status magis vel minus prosperis domus religiosae non adeo videatur influere in voluntatem Superioris promoventis disciplinam religiosam iuxta regulas, ut is minus invitus patiatur transgressiones paupertatis quo magis abundet bonis domus religiosa, etiam quando illa bona non afficiunt oeconomiam domesticam[15].

γ) Nullum invenimus auctorem recentiorem praeter Ballerini-Palmieri[16], qui disserat propria disquisitione de gravitate peccati contra paupertatem in religioso qui committeret gravem iniustitiam adversos men-

---

13 Gabriel de Varceno, *Compend. th. mor.*, I, p. 202. Sic scribendo innititur auctoritati P. Gury; is tamen haec potius refert ad peccatum religiosi violantis iustitiam simul et paupertatem, et hinc potissimum in ordine ad reparationem damni causati.

14 A. Lehmkuhl, *Theologia moralis* (Friburgi/Br. [12]1914), n. 685; idem, *Casus conscientiae* (ibid. [4]1913) I, n. 325.

15 Ad rem accurate Génicot, *op. cit.*, [16]II, n. 98 (= [17]n. 807), omnino ad mentem veterum moralistarum: « prorsus alia est condicio filii atque Religiosi sub respectu paupertatis. Neque hic afferri potest eadem ratio, nempe dominum esse minus invitum erga Religiosos quam erga extraneos; hic enim praesertim attendendum est detrimentum spirituale quod monasterio e talibus obvenit in uno e praecipuis religionis fundamentis ».

16 A. Ballerini - D. Palmieri, *Opus theologicum morale in Busembaum Medullam* (Prati [1]1891) IV, tr. 9, n. 123 (= [[3]1900] n. 88).

dicum, ab eo auferendo sumptus pro expensis unius diei. Talis summa, puta 25-30 pesetarum, certo non est in se notabilis ad perturbandam disciplinam religiosam. Potest tamen esse obiectum gravis obligationis; et in casu implicat gravem iniustitiam. Numquid eo ipso inferet similiter peccatum mortale contra religionem, propterea quod « ad materiam gravem in peccatis contra votum simul et iustitiam quantitas assignari potest ac in furto? » [17]. Responsum dabitur, ut conicimus, negativum. At aliquod dari debet posita generalitate normae relatae, ad criterium studentium efformandum. Quod autem negativum detur, et negativum habetur apud Ballerini-Palmieri ex bono argumento a Th. Sánchez desumpto [18], non est ex naturali quadam necessitate; bene etenim potuerit sub gravi prohiberi in materia religionis quodlibet individuum peccatum quod sub gravi sit prohibitum in casu concreto ratione iniustitiae et damnificationis.

δ) Nonnulli ex recentioribus (Génicot-Salsmans, Tummolo-Iorio, Arregui, Schäfer, ut videtur etiam Pruner) expresse tradunt normam pro gravitate peccati contra solam paupertatem desumendam esse a quantitate absolute gravi in iniustitia. Audiatur Ballerini-Palmieri, a quo exordium habuisse videtur haec laxior opinio. Hic, postquam insatisfactionem fatetur de norma aequiparante materiam gravem pro voto et pro iniustitia, nam pro furto « ea desumitur ex damno illato alteri, quando in violatione voti, id quod praecipue consideratur, est

---

[17] Sic I. UBACH, *Compendium theologiae moralis*, (Friburgi/Br. 1926) I, n. 445; aliique passim auctores. Sed fortasse cogitant de malitia ratione iniustitiae; vel complexive, ut aliqui subobscurius insinuant.

[18] « Quae tamen norma sic est, ait Sanchez ... intelligenda, ut materiae quantitas assumpta ut norma sit ex se sufficiens ad furtum grave, seclusis peculiaribus circumstantiis personae, adversus quam committitur. Verbo gratia, furari a paupere minorem quantitatem quam a divite, iam grave esse potest: at furtum huius rei pauperis admissum a religioso, quamvis esse posset grave peccatum in genere furti seu iniustitiae, non est tamen mortale in genere proprietatis contra votum admissae »: BALL.-PALM., *Opus th. mor.* [1]IV, tr. 9, n. 123 (= [3]n. 88).

sacrilegium », subdit sequentia: « Nihilominus, cum nulla alia intimior regula suppetat ad discernendam quantitatem gravem in violatione voti paupertatis, adoptata est regula supradicta » propter analogiam; sicut enim, ut ait Sanchez, « in furto res usurpatur invito domino, ita in peccato proprietatis res usurpatur invito Superiore ». Unde tandem « quantitas assumpta ut norma sit ex se sufficiens ad furtum grave, seclusis peculiaribus circumstantiis personae adversus quam committitur; sit idcirco quantitas absolute gravis » [19]. Huic ratiocinio inhaerens Génicot, sic ulterius argumento vix probativo demonstrare conabatur intelligendam esse quantitatem *ex se* sufficientem ad furtum grave: « Nam quatenus negligitur debita dependentia a Superioribus, parum refert utrum res usurpata pertineat ad monasterium inops an ad opulentum. Sumenda est igitur quantitas absoluta pro omnibus condicionibus locorum et temporum » [20].

ε) Sunt tamen auctores, numero longe plures quam praecedentes, qui recensitam normam maiorum, in qua laesio voti et laesio iustitiae eadem quantitativa regula considerandae proponuntur, non videantur intelligere de materia absolute gravi. Huiusmodi commemorari possunt omnes illi (Tummolo, Ferreres, Dumas, Sabetti etc.) qui in diversis regionibus opus a P. Gury conscriptum successivis editionibus divulgaverunt. Hi omnes, postquam distinctionem inducunt inter violationem solius voti atque violationem iustitiae simul ac religionis, circa priorem casum admittere solent eandem normam materiae quae in furto sit gravis. Circa posteriorem autem, « eamdem generatim materiam ad peccatum mortale requirunt ... quia actus proprietatis eiusdem gravitatis esse videtur » [21]. Sed statim referunt tanquam non improba-

---

19 *Ibid.*, [1]IV, tr. 9, n. 122-123 (= [3]n. 87-88).

20 GÉN. - SALSM., *Inst. th. mor.*, [16]II, n. 98 (= [17]n. 807). Ab eo mutuavit A. M. ARREGUI criterium quod expressit in suo *Summario theologiae moralis* (Romae 1937), n. 500, 3. Haud aliter opinatus est A. MONDRÍA in reimpressione 17ª *Compendii theologiae moralis* I. B. FERRERES (Barc. 1950), cui in vol. II, n. 206, recte videtur statui norma unica materia absolute gravis.

21 I. P. GURY, *Compend. th. mor.*, [12]II, n. 160 (= [15]I, n. 1110).

bilem opinionem aliorum auctorum qui maiorem adhuc exigant quantitatem; satis in hoc indicantes materiam gravem furti non accipiendam esse eam quae sit absolute gravis, sed aliam relative intelligendam [22]. Nam mirum esset quod quantitatem maiorem quam absolute gravem exigerent ad peccatum mortale eorum qui profitentur perfectionis paupertatem. « Absonum autem omnino est inducere ad grave peccatum constituendum, contra solum votum paupertatis, adhuc maiorem quantitatem quam ad furtum absolute gravem » (sic) [23].

ζ) Clarius et accuratius loquitur de hac re Ian. Bucceroni. Postquam enim statuit principium, eam generatim habendam esse materiam gravem « quae in furto grave peccatum constituit », renuitque admittere applicationem ad religiosos doctrinae communis circa furta filiorum familias, quia circa eorum detrimentum spirituale « Superior magis semper invitus censendus est, quam paterfamilias », sic addit: « Atque hinc patet praedictam materiam gravem non esse materiam *absolute* gravem in furto, si monasterium valde opulentum sit, sed materiam *relative* gravem, relative nempe ad monasterium mediocriter divitem [sic] uti ad communem regulam, attento damno quod patitur religio ex proprietatis peccato... Materia autem haec respective gravis quoad monasterium mediocriter divitem, illa ipsa est quae respective gravis est quoad personam mediocriter divitem » [24].

Ex hac expositione patet nostris diebus doctrinam perspicuam et bene definitam de gravitate violati religiosae paupertatis voti nondum haberi. Ex modo loquendi antiquorum satis cohaerent moderni in proponenda

---

[22] Terminus huius relationis ab eis non proponitur. Sed attenta eorum declaratione circa monasteria mediocriter opulenta quae hominibus ditioribus sint aequiparanda, haud temere supponimus eos cogitare de materia gravi relative ad homines ditiores, in classe media bene accommodatos, sicut supra dictum est.

[23] I. BUCCERONI, *Inst. th. mor.* [6]III, n. 287. Cf. etiam textum P. Suárez, cui refertur nt. 32.

[24] *Ibidem.*

tanquam materia gravi in violatione paupertatis eadem illa quae gravis est in furto secundum normam communem. Sed minime patet ex eorum expositione hanc materiam intelligendam esse absolute gravem, prout affirmavit quadamtenus Ballerini-Palmieri, clarius autem Génicot et pauci eius opinionem potius sine reprobatione referentes quam positive subscribentes. Immo, contrarium satis perspicue elucet ex attenta consideratione textuum, licet formula adhibita facile inducat ad aliud existimandum.

In sequentibus conamur analysi subicere genuinam mentem maiorum, unde lucem accipient expressiones insufficienter determinatae recentiorum, necnon confirmationem vel infirmationem.

III

Si ulterius progrediamur ad consulendos auctores antiquiores ex quibus desumptae sunt opiniones nunc vigentes, haec fere potiora occurrent efferenda:

a) Communiter admittunt in violatione paupertatis haberi parvitatem materiae, proindeque non quamlibet laesionem voti inducere peccatum mortale.

Id plures (Th. Sánchez, Lugo, Leander de Ss.mo Sacramento, Illsung, Castropalao) expresse tuentur adversus Gersonem, S. Antonium, Passarellum et Vivaldum [25]. Rem nimis claram recentiores silentio praeterire solent. Eam tamen adhuc memorati sunt F. Piat et A. Vermeersch, alios etiam adversarios antiquitatis referendo [26].

b) Multi expresse affirmant, et exemplis illustrant, distinctionem adaequatam inter violationem iustitiae et

---

25 Generatim pro refutatione remittunt ad IOH. DE LUGO, *De iustitia et iure*, disp. 3, sect. 8, n. 170; qui, vicissim mutuatur notitiam a TH. SÁNCHEZ, *In praecepta Decalogi opus morale*, lib. 7, c. 20, n. 1. Cf. etiam F. SUÁREZ, *De religione*, p. 2, lib. 8, c. 6, n. 4 (ed. C. Berton, t. XV, Paris. 1859, p. 576).

26 F. PIAT, *Praelect. iur. regul.*[2] p. 3, c. 2, q. 18; A. VERMEERSCH, *De relig. institutis et pers.*, II, suppl. 6, c. 2, a. 1, n. 1.

violationem religionis a religioso abutente rebus pretio aestimabilibus. Violari potest sola iustitia, si Superior consentiat subdito usurpationem et appropriationem rei alienae cuius usus non disconveniat statui religioso; violari potest votum, salva omnino iustitia, praesertim postquam vota simplicia permittunt religiosis conservationem et augmentum patrimonii. Insuper peccari potest eodem actu iustitiae et religiosae paupertati opposito, graviter contra iustitiam et leviter contra paupertatem, v. gr. si religiosus auferat ab invito rem parvi valoris, cuius privatio grave damnum inferat domino; itemque, viceversa, graviter contra paupertatem et leviter contra iustitiam, v. gr. si religiosus filius ditissimorum parentum ab eis vix invitis auferat quantitatem in se absolute gravem eamque sine licentia Superioris expendat [27].

c) Tanquam principium communiter admissum proferri possunt haec verba Th. Sánchez: « Difficultas est, quae dicatur parva quantitas excusans a mortali. Qua in re communis et verissima sententia est eam quantitatem necessariam esse, et sufficere, quae necessaria est et sufficit in hominibus saecularibus ad constituendam materiam peccati mortalis furti. Quia hoc proprietatis peccatum se habet instar furti. Sicut enim in furto res usurpatur invito domino, ita in peccato proprietatis res usurpatur invito Superiore, cui per votum paupertatis omnes suas actiones quoad recipiendum, retinendum aut distribuendum aliquid pecunia aestimabile religiosus subiecit » [28].

De norma sic exhibita a moralistis antiquioribus dubitari nequit. Recurrit enim apud plerosque, formulis fere iisdem proposita [29]. De sensu autem normae examen

---

27. Cf. prae aliis I. ILLSUNG, *Theologia practica universa*, tr. 4, disp. 2, q. 3, a. 6, n. 212-215. Discrepat in quibusdam SUÁREZ, *De religione*, p. 2, lib. 8, c. 6, n. 12-19 (Berton XV, 578-580).

28 TH. SÁNCHEZ, *In praec. Decalogi*, lib. 7, c. 20, n. 3. Addit autem: « Atque ita docent Navarro, Corduba, Graffis, Rebellus, Manuel, Azor ». A posterioribus ipse pariter citatur, sicut et Lugo, ex parte Suárez, Mendoza, Bonacina, Castropalao, López, Molina, Illsung, Diana, Pellizario, Fagúndez et alii plures.

29 En aliqua exempla: « Sententia ... quae quantitatem suffi-

diligentius instituendum est; nam difficultatibus haud levibus et obscuritatibus subicitur, quas prae aliis Suárez expresse proposuit. « Quidam auctores, sic ille, generalem regulam constituunt, illam censeri posse materiam gravem in proprietate contra paupertatem quae in furto sufficeret ad peccatum mortale ... Sed non caret difficultate ... » [30].

Difficultates autem praecipuas has refert: Primum non apparet ratio aequiparationis; sed potius discrimen ostenditur in quantum voti obligatio ratione religionis maior videtur quam iustitiae obligatio, aliunde tamen ratione urgentiae minus rigorosa. Deinde quantitas in materia furti est valde indefinita, alias absolute alias respective ad diversas diversarum personarum condiciones consideranda: iam vero, respective considerata, interdum habetur peccatum grave in ratione furti damnosi circa materiam in se levem, quae tamen non videtur obiectum sufficiens constituere ad votum sub mortali de ea eliciendum; absolute vero considerata varias auctorum provocat opiniones; nam aliis duo argentei [seu regales, seu iulii, seu caroleni qui efficiunt decimam tertiam partem scuti] videntur constituere materiam gravem in iustitia; aliis decem aurei respectu regum, duo vel tres respectu divitum, vix efficiunt talem materiam; aliis unus aureus respectu divitum, quatuor vel quinque argentei respectu personarum mediocris fortunae, duo vel etiam unus respectu pauperum sufficiunt ad mortalem reatum furti. Tertio, si vera sit regula aequiparans obligationem voti et iustitiae, logice dicendum erit ad peccatum mortale in materia paupertatis requiri ad minimum unum aureum, quippe quod « in furto sufficit secundum se,

---

cientem ad peccatum furti, asserit etiam sufficientem ad peccatum mortale contra religiosam paupertatem, est communis doctorum: I. Illsung, *Theologia practica universa*, tr. 4, disp. 2, q. 3, a. 6, n. 216; « Communis iam et recepta sententia est, illam esse sufficientem materiam ad violationem gravem voti, quae sufficit ad peccatum grave contra iustitiam, quam docent communiter doctores »: I. de Lugo, *De iustitia et iure*, disp. 3, sect. 8, n. 170.

30 Suárez, *De religione*, p. 2, lib. 8, c. 6, n. 5 (Berton XV, 576 b).

seu secundum absolutam eius considerationem » ad peccatum mortale, dum secundum respectivam considerationem, « nulla est quantitas certa infra terminum absolutum, sed infinite variari potest et ideo cum illa non potest fieri comparatio »[31].

Iam vero, ratiocinatur ulterius Suárez, nullo modo videtur admittendum quantitatem unius aurei, id est quantitatem absolute gravem, ad minimum esse necessariam ad peccatum grave contra paupertatem; « est enim contra commune iudicium recte sentientium de paupertate, essetque aperire ianuam, nimiamque licentiam dare religiosis ad violandam paupertatem[32]. Ex hac ratione, et quia « ex diverso capite oritur malitia et gravitas sacrilegii proprietatis et furti, in furto enim attenditur laesio proximi in bonis externis ... in violatione autem paupertatis non attenditur nocumentum Deo illatum in bonis eius ... [sed] infidelitas servandi promissionem Deo factam et iniuria quae inde in Deum redundat », deficiente meliore mensura malitiae determinandae, proponit tanquam materiam in quam cadere possit gravis obligatio voti paupertatis extra Religiones[33], eam quae « sufficiat ad constituendam promissionem gravem in ordine ad divinum cultum », qualis efficitur « iudicio cuiusque prudentis » etiam quatuor argenteis, ut patet ex voto talis eleemosynae faciendae[34].

d) Norma, igitur, constat: « Ex communi sententia, scribebat medio saeculo XVIII Paul. Gabr. Antoine, auctor potius rigorista, quantitas sufficiens ad furtum mortale, sufficit etiam ad peccatum mortale contra hoc votum »[35]. Necessitas quoque alicuius explicationis super norma incerta et vaga, ex considerationibus a Suá-

---

31 *Ibid.* n. 6-8 (p. 577 s).

32 *Ibid. n.* 8 (p. 577 s).

33 *Extra Religiones*, dico; nam pro materia gravi in voto paupertatis religiosae aliud criterium proponit, ut inferius videbimus; id quod auctores non pauci perperam intellexerunt.

34 Suárez, *ibid.*, n. 9 (p. 578).

35 P. G. Antoine, *Tract. de obligationibus specialibus certorum statuum et officiorum*, c. 2, q. 5, notanda n. 5 (*Operum* t. III, Venetiis 1769, p. 134).

rez desumptis pariter constat. Investiganda est, igitur, mens auctorum circa eam aequiparationem; et in concreto examinandum est num intellexerint materiam gravem pro voto paupertatis eandem esse quae absolute gravis dicitur in furto. Quod negandum omnino esse ex sequentibus apparebit; simulque patefiet illos intellexisse materiam gravem pro voto paupertatis eam generatim fore quae gravis est in furto respectu hominum mediocri fortuna fruentium, i. e. hominum classis mediae sine angustia oeconomica degentes. Id sequentes considerationes ostendent:

α) Cum quantitatem in concreto volunt definire, eam solent determinare quatuor argenteorum [36], quae in eorum computationibus respondet generatim [37] quantitati relative gravi, nimirum « respectu communium personarum habentium mediocres facultates »; dum respectu pauperum quantitatem relativam assignant unum vel duos argenteos, respectu vero divitum unum ad tres scutos, aut etiam amplius, prout distinguant inter simpliciter et admodum divites, magnates ac reges [38].

---

36 Sic v. gr. TH. SÁNCHEZ, *In praec. Decalogi*, lib. 7, c. 20, n. 3, 5, et IOH. DE LA CRUZ, *De statu religionis* (Matriti 1613 et al.), lib. 1, c. 3, dub. 5, quos probat A. DIANA, *Resolutiones morales*, vol. 7: *De paupertate religiosa*, res. 40, n. 2; F. DE CASTROPALAO, *Opus morale*, p. 3, disp. 3, punct. 20, n. 3, aliique plures. SUÁREZ hanc quantitatem eo libentius approbat, quo melius per eam videt confirmari propriam sententiam de quantitate gravi in voto quae gravis sit in eleemosyna: *De religione*, p. 2, lib. 8, c. 6, n. 5 (Berton XV, 576 s).

37 *Generatim*, dicimus; quia nonnulli, ut I. B. DE LEZANA, *Summa quaestionum regularium seu de casibus conscientiae*, I, c. 6, n. 57, cum Mendoza et Rebello, duos argenteos (iulios) existimant efficere materiam gravem; dum SUÁREZ, *De religione*, p. 2, lib. 8, c. 6, n. 6 (Berton XV, 577) severiorem indicat hanc computationem, quam tribuit Córdoba, Navarro et Covarrubias.

38 In nonnullis auctoribus, quia ratio damnificationis personalis nimis attenditur, scala quantitatum relativarum amplissima ponitur. Sed plerique bene distinguunt damnum personale ex furto, quod potest esse parvum, et quantitatem ablatam, quae sit « secundum se gravis propter notabilem conducentiam ad hominum necessitates sublevandas »: ILLSUNG, *Theologia pract., univ.*, tr. 4, disp. 2, q. 3, a. 6, n. 221.

β) Quoniam violatio voti consistit in usu rerum pretio aestimabilium independenter a Superiore, patet gravitatem quoque ab hoc ex parte dependere quod Superior magis vel minus invitus sit. Ideo fere omnes auctores, sive distinguendo casus in quibus violatio voti fiat super bonis ad monasterium pertinentibus et super aliis bonis, sive omittentes hanc distinctionem et supponentes quod communiter continget, votum scl. laedi per usum independentem bonorum monasterii, quantitatem aiunt augendam esse aliqua proportione, quatenus religiosos auferentes bona monasterii aequiparandos esse existiment filiisfamilias [39], vel paulo minus [40], paucis quidem contradicentibus [41].

---

39 Scribebant post multos priores SALMANTICENSES: « Regulam hanc generalem statuimus ... nimirum furta religiosorum ut furta filiorum esse computanda; et ideo id quod in filiis est materia gravis, quando aliquid clanculum ex bonis parentum accipiant, erit etiam in religiosis quando eodem modo ex bonis monasterii aliquid accipiunt. Et ratio est, quia Superiores non debent credi magis inviti erga suos subditos quoad res furtive acceptas, quam patres ergo proprios filios; nec minus liberales debent esse de patrimonio Christi, quam parentes de suo »: *Cursus theologiae moralis,* vol. 3, tr. 13, c. 6, punct. 5, n. 43. Citant autem pro sua sententia Sánchez, Rebello, Fagúndez, Pellizario, Antonium a Spiritu Sancto, Ledesma, Cenedo, Navarro, Caramuel. Latius hoc argumentum pertractat LEANDER DE SS.MO SACRAMENTO, *Quaestionum moralium,* tr. 2, disp. 6, q. 1.

40 « Regula illa, quod religiosi debeant considerari ut filii, non est universim vera ... Tertio et principaliter, in furto religiosi non solum est invitus Superior propter detrimentum temporale, quod bonis communibus fit, sed multo magis propter detrimentum spirituale, quod religio patitur ex relaxatione circa unum ex potissimis fundamentis vitae religiosae ... »: I. DE LUGO, *De iustitia et iure,* disp. 3, sect. 8, n. 172. Addit, nihilominus: « Fateor ... religiosum non considerari omnino ut extraneum, sed ut partem illius communitatis; et ex hac parte benignius cum illo esse agendum ad designandam materiam gravem quam cum extraneo »: *ibid.* Ei assentiunt, alii, ut H. García, Th. Tamburini, L. Iansen etc.

41 Sic iam SÁNCHEZ, *op. cit.,* licet saepe allegatur in contradictoriam sententiam. Eam postquam profert, mutuatam a Rebello et non suam, expresse reicit propter disparitatem, « quia filii non sunt voto paupertati adstricti, nec eorum statum dedecet aliqua possidere, et sunt necessarii bonorum parentis heredes ... Idcirco

Sed iidem isti auctores solent supponere nimium requiri et aperte pessumdans votum paupertatis, si ad grave peccatum contra illud committendum exigatur materia absolute gravis, imo, aliquando duplo maior illa.

γ) In distinctione facta inter furtum forte leve et appropriationem rei furatae quae possit esse notabilis, expresse explicant alio sensu principium communiter admissum: « Deum dicimus eam quantitatem exigi et sufficere ad mortalem proprietatem contra votum, quae sat est ad furtum mortale in saecularibus, [notandum est hoc] intelligi de materia sufficienti ex se ad furtum, seclusis personae adversus quam committitur circumstantiis »[42]. Dilucide confirmat Illsung: « Itaque praedicta regula, ut etiam advertunt ... Castropalao ... Suárez ... Sánchez, debet intelligi de quantitate furti spectata sine consideratione ad personas extraordinarie divites vel pauperes; sed quae esset secundum se gravis propter notabilem conducentiam ad hominum necessitates sublevandas, seu quae esset gravis respectu personae laesae mediocriter divitis »[43].

Alii, ut Leander de Ss.mo Sacramento, cum Salmanticensibus, explicite tradunt furta religiosorum regulanda esse non cum furtis filiorum hominum ditissimorum, sed mediocriter divitum; idque etiam quando monasteria sunt pauperiora[44].

---

melius alii doctores absolute tradidere quantitatem petitam ad mortale in materia furti sufficere ad violandum paupertatis votum »: *In praec. Decalogi,* lib. 6, c. 20, n. 3. Eum sequuntur alii, ut Illsung, Cuniliati, Concina etc., quorum sententiam probabiliorem habet S. ALFONSUS, *Th. mor.,* lib. 4, c. 1, n. 24.

42 TH. SÁNCHEZ, *Op.* et *loc. cit.,* n. 5. In sequentibus ostendit furtum rei parvae quod magnum causet damnum pauperi, esse leve in ratione paupertatis, licet grave in ratione damnificationis; furtum autem magnae quantitatis adversus regem esse leve in ratione furti, sed grave in genere peccati proprietatis. « Quamobrem dicendum est exigi et sufficere eam quantitatem quae communiter, seclusis iis personae circumstantiis, satis esset ad mortale; quam diximus in Hispania esse quatuor argenteorum ».

43 ILLSUNG, *Theologia pract. univ.,* tr. 4, disp. 2, q. 3, a. 6, n. 221.

44 LEANDER DE SS.MO SACRAMENTO, *Quaest. mor.,* tr. 2, disp. 6,

δ) Non desunt auctores qui sic remittant pro gravitate violationis mensuranda ad respectivas diversorum Institutorum Constitutiones ut, nedum quantitatem absolutam, verum neque relativam pro omnibus religionibus communem admittere videantur; sed eam pro singulis religiosis, quae secundum proprias regulas et tenorem vitae proximius definiatur. Sic v. gr. Suárez: « Atque hinc fit ut ... recte possit pro regula accipi, quantitatem illam quae sufficit ad peccatum mortale furti, sufficere etiam ad peccatum mortale religiosi sibi aliquid appropriantis. Accipiendum tamen est furtum iuxta materiam subiectam, et respectu talis religionis talisque personae [45]. I. Illsung, postquam difficultatem determinandi materiam peccati referebat etiam ad « inaequalem rigorem paupertatis, diversis religiosis familiis consuetum », iustificabat normam Societatis Iesu sodalibus datam ab ipsorum Congregatione Generali septima, decreto decimo, « quia obligatio religiosae paupertatis iuxta voluntatem ipsorum voventium imitatur naturam obligationis iustitiae » [46]. Addit hanc quosdam apud Lugo nimis laxe applicare, dum asserunt « in determinanda quantitate furti attendendas esse divitias monasterii »; quod ipse iure respuit, quia exinde sequeretur « religiosis eiusdem Ordinis non esse determinatum certum rigorem paupertatis per se loquendo, sed eo laxiorem esse paupertatem quo unum monasterium vel collegium est ditius » [47]. In idem recidit consideratio quam proponit

---

q. 2. Cuius sententiae etiam sunt, ut observat, Fagúndez, Escobar, Torrecilla, Caspense, Baffeo, Diana, Caramuel.

[45] SUÁREZ, *De religione,* p. 2, lib. 8, c. 6, n. 13 (Berton XV, 579).

[46] Decretum est in laudata Generali Congregatione: « Intelligant omnes eam quantitatem quae furto sublata satis esset ad constituendum peccatum mortale contra septimum praeceptum, sufficere ut peccasse adversus votum paupertatis iudicetur, si quis e nostris rem ut propriam vel usurpet vel alienet absque Superioris licentia » (cf. *Ordinat. Praepos. Gen.,* c. 4, n. 10: *Institutum S. I.,* Florent. 1893, III, 269).

[47] ILLSUNG, *Theologia pract. univ.,* tr. 4, disp. 2, q. 3, n. 216-219.

I. Reuter, dum sic animadvertit: « Gravitas autem materiae aestimari debet non solum ex gravitate damni temporalis, quod patitur domus religiosa, sed etiam ex gravitate damni spiritualis quod patitur Religio ex vitio proprietatis seu violatione paupertatis; ex utroque enim hoc capite iudicari debet an Superior sit graviter invitus » [48].

e) Pauci quidam auctores, praeunte F. Cuniliati, iudicium de gravitate materiae voti paulo aliter exprimunt, praenuntiantes conceptione quam nostris temporibus Vermeersch primus divulgabat. « Itaque, scribebat ille, neque approbo absolute regulam dicentium summam notabilem pro religioso esse illam quae statuitur pro furto absolute, neque illam quae statuitur pro furto filiorumfamilias; sed esse illam qua notabiliter laedatur tam fidelitas promissi Deo nuncupati, quam voluntas Superioris rationabiliter volentis quoad hoc minus quam potest relaxare, considerata disciplina monasterii communem vitam servantis » [49]. Hoc criterium inter Carmelitas excalceatos divulgavit F. Genetto, exscribendo in sua theologia, pro appendice, tractatum de statu religioso in quo Cuniliati suam mentem expresserat [50]. Nec ab eis multum differt norma a Ioh. Reuter derivata ex damno spirituali, sicut supra indicatum est.

---

48 I. Reuter, *Theologia moralis*, pars 3, tr. 1, c. 3, q. 5, n. 54.

49 F. Cuniliati, *Universa theologia moralis*, p. 2, tr. 16, c. 2, § 2, III. Superius dixerat quantitatem « deducendam, nedum ex ipsa quantitate rei in se, sed ex quantitate ista comparata voto et disciplinae regulari quae vigeat in monasterio ». Probabatque normam a Suárez propositam de quantitate sufficienti ad votum sub gravi emittendum circa eleemosynam, quatenus eius transgressio inferret notabilem omissionem cultus divini.

50 Cf. F. Genetto, *Theologia moralis* (Madrid 1781) I, 531-615.

IV

Ex tota hac expositione, illustrata ex antiquioribus doctrina minus definita recentiorum, sequentia fortasse per modum conclusionum determinare licet:

a) Non est argumentum cogens ad distinguendas cum pluribus post Gury et Konings transgressiones voti paupertatis, prout eae coniunctam habeant malitiam iniustitiae vel secus. Ratio iniustitiae, si occurrat, consideranda erit relate ad personam damnificatam per actum qui simul, sed ratione independenti, offendit religiosam paupertatem. Et poterit esse levis etiam in materia absolute gravi, v. gr. in ablatione 1500 pesetarum a filio parentis ditissimi, leviter inviti de tali filii sui actione; vel gravis in materia relate ad votum violatum levi, v. gr. in ablatione a mendico 15-20 pesetarum. Ideo talis distinctio, inter recentiores satis frequens, melius omittitur, ut ratio iniustitiae et ratio violati voti separatim semper considerentur ex respectivo earum motivo, ad invicem congruentes vel secus.

b) Condicio oeconomica monasterii, quam plures tam antiqui quam moderni prae oculis habendam censuerunt ad mensurandam gravitatem violatae paupertatis [51], parce admodum attendenda videtur sub hoc respectu, licet maxime consideranda sit ratione damni reparandi. Aliquid influere potest in eo quod Superior sit magis vel minus invitus quoad illas violationes leviores quae versantur circa substractionem bonorum monasterii. Sed gradus violationis minime dependet necessario ab illa condicione oeconomica. Imo, nec per se dependet unquam rationabiliter ab ea; quia « peccatum contra paupertatem mensuratur ex damno disciplinae seu observantiae religiosae, quod non est levius etsi domus religiosa sit dives » [52]. Dependet autem ab statu di-

---

[51] Cf. S. Alfonsus, *Theologia moralis,* lib. 4, c. 1, n. 24.

[52] I. Illsung, *Theologia pract. univ.,* tr. 4, disp. 2, q. 3, n. 219.

sciplinae religiosae in respectiva domo, vel praesertim in respectivo Instituto; nam circa transgressiones « Superior prudenter censeri debet invitus, ita ut, praecipue ubi viget disciplina et vita communis, ex vi sui muneris obsistat quantum potest huiusmodi violationibus sacri voti ... et nihil faveat violatori. Dixi: praecipue ubi viget disciplina; nam etiam ubi est collapsa, cum agatur de voto, censendus est Superior, ne suo muneri graviter desit, eamdem habere sollicitudinem, ne circa illud magis laxetur; unde se restringat ad eam summam quae minus vulneret votum emissum »[53].

c) Comparatio religiosorum cum filiis familias mitigata quadam ratione attendi potest ad mensurandam et urgendam reparationem damnorum monasterio causatorum per violationem voti paupertatis. Sed pro ipsius paupertatis violatione mensuranda vix potest in considerationem vocari, « cum Instituti ratio, vox ipsa Superioris ac demum omnia clare prohibeant huiusmodi furta »[54]. Nihilominus aliqua maior Superioris indulgentia vel conniventia, quae influat in diminutione malitiae, admitti potest.

d) Traditioni theologiae opponitur, et non videtur neque intrinsece neque extrinsece probabilis, sententia eorum qui dicunt materiam gravem in violatione paupertatis eam esse habendam quae sit absolute gravis in materia iustitiae; ne quidem in illis Institutis in quibus, sicut accidit in Societate Iesu, expresse declaratur ad grave peccatum contra votum sufficere quod satis est ad grave peccatum contra septimum praeceptum.

Assertio gravis est et centralis in nostra disquisi-

---

53 F. Cuniliati, *Univ. theol., mor.*, p. 2, tr. 16, c. 1, § 4, III.

54 Sic I. Gordon apud Th. Tamburini, *Explicatio Decalogi*, lib. 8, tr. 2, c. 4, n. 4. Argumenta in eundem hunc sensum negativum nitide exposuit I. de Lugo, *De iustitia et iure*, disp. 3, sect. 8, n. 172, eique plures assentiebant aliis contradicentibus. Inter modernos aequiparatio communius admittebatur, non obstante opinione contraria S.i Alfonsi, qui in hoc puncto discessit a Salmanticensibus, aequiparationem longe lateque defendentibus. Cf. S. Alfonsus, *Th. mor., lib.* 4, c. 1, n. 24; Salmanticenses, *Cursus theologiae moralis*, III, tr. 13, c. 6, punct. 4, n. 43-45.

tione. Iuvat, igitur, breviter colligere argumenta per totam disqusitionem sparsa.

Probabilitatem extrinsecam negare audemus, quia auctores eam propositionem sustinentes paucissimi sunt, si res bene inspiciatur. Etenim Arregui, Ferreres et si qui alii, praeter mox recensendos, admittunt doctrinam de materia absolute gravi, non aiunt se participare hanc opinionem, sed mere eam referunt quin positive reprobent, eo criterio ducti quod proponant sententias a probatis viris admissas, ut confessarii et directores animarum sciant quousque interdum fragilitati humanae liceat connivere [55]. Genicot quidem asserit: « quodsi nulla [in regulis Instituti] determinatio datur, gravitas diiudicanda est *e materia absoluta* [56]. Sed argumentatio eius valde infirma videtur, et sic tollit fundamentum probabilitati extrinsecae creandae. Etenim falso supponit ex verbis antiquorum quos refert concludi quantitatem absolute gravem esse necessariam; falso his auctoribus (Lugo et Th. Sánchez) attribuit hanc sententiam, ut iam ostendimus et ulterius inferius ostendemus; falso denique sic interpretandum censet decretum Societatis Iesu, et si quod aliud simile in aliis Institutis prolatum sit. Unde auctoritas Génicot, quae adeo valuit pro paucis subsequentibus, non videtur consistere.

Ballerini et Palmieri, scribentes *Opus theologicum in Busenbaum Medullam* [57], ita inhaerent verbis a Sán-

---

[55] Sic A. ARREGUI in Praefatione sui *Summarii theologiae moralis,* inhaerens criterio et verbis P. La Croix: « Si sententias aliquas benignas nimis forsan invenias, eas refero, ut confessarius sciat a gravibus auctoribus doceri et possit dissimulare quandoque in necessitate cum paenitentibus, si certae accedant circumstantiae quae reddant practicabiles ». Mondría autem ut doctrinam a I. B. Ferreres per plures annos sustentatam immutet, non adducit novas rationes, sed insistit considerationibus a Ballerini-Palmieri et Génicot mutuatis. Cf. FERRERES - MONDRÍA, *Compend. th. mor.* [17]II, n. 206; *Epitome de teología moral,* n. 632. Alii auctores pauci, ut T. SCHAEFER, *Compendium de religiosis* (Romae [4]1947) n. 1126, I. UBACH, *Compend. th. mor.,* I, n. 445, rem asserunt sine probatione.

[56] GÉN. - SALSM., *Instit. th. mor.,* [16]II, n. 98 (= [17]n. 807).

[57] Cf. [1]IV, tr. 9, c. 1, n. 122-124 (= [3]n. 87-89).

chez et Lugo mutuatis, ut nullibi dicant requiri quantitatem absolute gravem; licet vehementer coniciendum sit eos de materia gravi cogitare et intelligere [58].

Probabilitatem intrinsecam firmius negandam putamus propter rationes iam expositas, quas summarie iterum recensendo complemus:

α) Nequit una eademque mensura proponi pro diversis Institutis, diversam normam seu gradum paupertatis in sui regulis decernentibus. Nam religiosi paupertatem profitentur singuli secundum proprias ac peculiares regulas, sicut iam apud aliquos antiquos auctores, ut Suárez et Illsung, notatur [59]. Tamen fatendum est hanc considerationem in plerisque exsulare.

β) Norma desumpta pro violatione voti ex violatione iustitiae expresse intelligitur in auctoribus antiquis non absolute, sed relative; per relationem scl. sive ad monasterium non valde opulentum, quod aequiparetur mediocriter divitibus vel communibus personis habentibus mediocres facultates (Suárez, Bonacina, Sánchez, Diana, Leander etc.), sive ad quandam quantitatem mathematice approximativam, communiter quatuor circiter argenteorum probatam, quam censent esse gravem relate ad homines nec pauperes nec ditissimos (nedum opulentos aut magnates, quos gradus superiores habent), sed relate ad homines ditiores, scl. condicionis mediae angustiis oeconomicis non agitatae (Ledesma, Tamburini, Caramuel, Rodríguez, Lezana, Leander, Fa-

---

58 Sic concludendum videtur ex eo quod non admittunt aequiparationem religiosorum ad filiosfamilias, quam in Societate Iesu, vi decreti supra laudati, exclusam censent. Aliunde tamen suspicioni contrariae favere videntur verba n. 122 (3n. 87) in fine: « Nec verendum est, ne regula sit rigidior quam par est; nam religio voti non minus in suo ordine postulat, quam ius hominis in suo ». Porro quantitas absolute gravis nulli, ut censemus, videri potest regula rigidior!

59 Sufficiat unum in concreto referre: « Accipiendum tamen est furtum iuxta materiam subiectam, et respectu talis religionis talisque personae »: Suárez, *De religione*, p. 2, lib. 8, c. 6, n. 13 (Berton XV, 579). Cf. Illsung, *Theologia pract. univ.*, tr. 6, disp. 2, q. 3, a. 6, n. 216.

gúndez, Escobar, Torrecilla, Baffeo, Castropalao). Hanc relativam quantitatem significare volunt cum dicunt considerandam esse « secundum se et seclusis circumstantiis personae a qua furaris ..., quatenus gravitas vel levitas desumenda est ex eo quod res suscepta graviter conducat ad humanas actiones et hominum necessitatem sublevandam » [60]; vel, ut ait I. de Lugo, « intelligi debet de furto gravi non ex aliis circumstantiis, sed ex gravitate materiae quae aufertur, quae secundum se sufficiat ad peccatum grave » [61].

γ) Expresse reprobant nonnulli normam de quantitate absoluta, et quidem imprimis auctores Societatis Iesu, qui noverunt decretum suae Congregationis Generalis aequiparantis iustitiam et paupertatem. Sic Suárez, pro quo ut vidimus, si comparatio fiat secundum priorem quantitatem absolutam, aut incerta etiam videtur, aut nimiam licentiam tribuit contra paupertatem [62]. Sic Illsung, qui Decreti in Societate Iesu vigentis fundamentum in eo videt quod « quantitas quae respectu iustitiae est gravis, recte assignatur pro mensura et regula quantitatis gravis respectu religiosae paupertatis »; ipsum autem decretum intelligit agere de quantitate relativa, « spectata sine consideratione ad personas extraordinarie divites vel pauperes; sed quae esset secundum se gravis propter notabilem conducentiam ad hominum necessitates sublevandas, seu quae esset gravis respectu personae laesae mediocriter divitis » [63].

e) Omnibus inspectis, doctrina fere una quae occurrat omnibus difficultatibus et rationabilem offerat

---

60 F. de Castropalao, *Opus morale*, pars III, disp. 3, punct. 20, n. 2; I. B. de Lezana, *Summa quaestionum regularium*, I, c. 2, n. 17, sic habet: « In furto autem communiter et regulariter loquendo, et seclusis circumstantiis personarum, temporis et loci, etc. ... duo iulii aut reales hispani [communius assignant quatuor] putantur gravis materia ».

61 I. de Lugo, *De iustitia et iure*, disp. 3, sect. 8, n. 171.

62 Suárez, *De religione*, p. 2, lib. 8, c. 6, n. 5 (Berton XV, 577).

63 Illsung, *Theologia pract. univ.*, tr. 6, disp. 2, q. 3, a. 6, n. 221.

solutionem est ea quae proponitur [64] ab A. Vermeersch, sic ratiocinante:

« Hoc est nobis initium, ultroneum paupertatis cultum esse quandam proprietatis abiectionem... Nec... ambigi paupertatis istius varios gradus esse, i. e. ita abici posse proprietatem ut quis vi voti versetur sive in condicione mendici, sive hominis valde exiguae condicionis, sive, ut in Societate Iesu, honesti Sacerdotis.

His prius propositis, tanquam formalem rationem gravis reatus damus in universum proprietatem notabilem. Qua in re astipulamur C. de Lugo, d. 3, n. 172 et 181.

Statim autem apparet, notabilem istam proprietatem esse aliam pro alio assumpto statu, seu pro alia professione paupertatis.

Et sic naturali quodam itinere ad hanc venimus conclusionem: eam materiam esse gravem quae, pro condicione in qua ex sua professione versatur religiosus, existimetur esse notabilis pretii. In Societate Iesu igitur ea per se erit quantitas, qua si privares sacerdotem honestum, hunc gravi afficeres iniuria.

Quod de iis dicimus actibus qui plenum continent illicitae proprietatis usum. In aliis enim tanto maiore opus erit summa, quanto de hoc vitio magis detrahitur.

Minima autem inest illicita proprietas in actu quo sine licentia professus votorum simplicium aliis tribuit bona quorum servat dominium.

Quare severiorem dicimus esse (t. I, n. 266) normam quae etiam tum quantitati absolute gravi furti comparare velit materiam gravem laesae paupertatis.

Quae nostra sententia confirmatur eo quod regulam proponit universalem, convenitque in omne paupertatis votum; facile praeterea explicat, quomodo in religionibus quae disciplinam profitentur exterius austeriorem, illicita usurpatio summae satis tenuis iam gravis reatus damnari queat » [65].

Huic opinioni plane adhaeremus. In ea rationabiliter explicatur, sine nimia restrictione et sine laxitate, materia gravis quae subest voventibus paupertatem ad sectandam perfectionem; in ea diversae transgressiones, sive per ablationem bonorum alienorum, sive per abusum proprii patrimonii, unicam acceptabilem explicatio-

---

[64] Ceteroquin cohaerens cum intimo sensu optimorum auctorum: Suárez, Sánchez, Lugo, Illsung, Cuniliati, Reuter, Piat et quotquot mensuram desumunt ex disciplinae religiosae exigentiis, quae non solum universim renuunt pervenire usque ad materiam absolute gravem, sed praeterea urgent peculiares normas proprii Instituti.

[65] A. VERMEERSCH, *De relig. Instit. et pers.*, vol. II, suppl. 6, c. 1, a. 2.

nem habere videntur, independenter a damnificatione proximorum, sive ditissimorum sive mediocris aut tenuissimae fortunae, vel ab statu oeconomico monasterii, vel a numero religiosorum ibi commorantium, quae omnia perturbant ideas plurium de hac re scribentium; in ea denique plena cohaerentia diversarum circumstantiarum videtur obtineri ad perspicuam et harmonicam solutionem diversorum casuum occurrentium. Rationem aliquam habendam esse de dispositione Superioris magis vel minus liberali, necnon aliquatenus de condicione oeconomica domus religiosae cui noceat peccatum contra votum paupertatis, non negamus; nam malitia pendet a maiori vel minori oppositione Superioris.

Concludat pro nobis auctor in describendo iure proprio Societatis Iesu maxime acceptus et indubie primus:

« Sed multo verior videtur sententia et explicatio P. Vermeersch, t. I, n. 265, et t. II, pag. 99-103. Per votum paupertatis, ut dictum est n. 19, assumitur status paupertatis (qui essentialiter consistit in eo, quod religiosus nulla re tamquam propria utatur, et insuper pro solemniter professis et quibusdam aliis, ut omne dominium bonorum temporalium abdicent); ideo haec materia gravis erit contra votum paupertatis, quae statui paupertatis, quem religiosus amplexus est, graviter adversatur.

Hic autem status paupertatis diversus est in diversis Religionibus: rigidior, v. gr. apud Franciscanos, Capucinos (apud eos accedit ad Statum pauperum, qui vitam eleemosynis comparant); in aliis, minus strictus. In Societate Iesu est status honestorum sacerdotum regionis, ut habetur in formula Instituti Iulii III (1550). — Inde diversa erit materia quae habenda erit ceu gravis in diversis Ordinibus, pro rigidiore aut minus rigida paupertate quam profitentur. In genere, gravis erit materia quae esset gravis expensa pro personis quarum tenorem vitae sectantur, aut quae grave damnum illis afferret, si in hac quantitate damnum paterentur. Pro Capucinis gravis erit materia quae gravis esset expensa aut grave damnum pauperi mendicanti; pro religioso Societatis Iesu, gravis erit ea materia quae esset gravis expensa aut grave damnus sacerdoti honesto regionis (ex beneficio suo vivente).

Practice haec sententia fere coincidit cum sententia a Lugone et Sanchezio prolata; sed rationem intimam gravitatis verius explicat » [66].

MARCELLINUS ZALBA, S. I.

---

[66] E. FINE, *Iuris regularis ... quo regitur Societas Iesu declaratio*, c. 8, n. 30.

QUAESTIONES RECENTIORES DE LOCIS SACRIS ET LEGUM UNIVERSALIUM DEROGATIONES IN PRIMA SYNODO ROMANA

1. Constitutiones Primae Synodi Romanae, tum ex natura rei, tum ex positiva Romani Pontificis declaratione, legem particularem faciunt, quae, per se, ius commune observat [1], et dioecesim Romanam dumtaxat obligat [2].

2. His non obstantibus, cognitio harum constitutionum synodalium valde utilis existimanda est etiam extra dioecesim Romanam, propterea quod ad iuris cultores spectat hanc legem probe nosse, qua ille clerus regitur, « ex quo praecipue in omnem Ecclesiam cleri forma processit » [3], et qua ille populus gubernatur, qui « inter ceteros populos decet meritis pietatis excellere » [4].

3. Sed, praeter hanc rationem generalem, exstant duae tresve aliae, quae singulari modo penitiorem cognitionem Synodi Romanae canonistis commendant.

Prima est quod constitutiones synodales clare ostendunt quousque quilibet Ordinarius loci, potestate sibi propria, hodiernis animarum ac temporum necessitatibus occurrere possit. Nam in his constitutionibus Romanus Pontifex plerumque « procedit ut simplex Ordinarius

---

1 Cf. S. R. (= SYNODUS ROMANA a. 1960, cuius acta vd. in opere *Prima Romana Synodus A. D. MDCCCCLX,* Typ. polygl. Vatican. 1960) art. 3.

2 Cf. art. 9, § 1.

3 S. BERNARDUS CLARAEVALL., *De consideratione,* lib. IV, c. 2 (MIGNE, *P.L.* 182, 773 A). Textus allatus citatur a S. S. IOANNE XXIII in Const. « *Sollicitudo omnium ecclesiarum* », 29 Iun. 1960, qua Prima Romana Synodus promulgatur (*op. cit.*, p. X).

4 S. LEO I MAGNUS, *Sermo* 3 (al. 2), c. 4 (MIGNE, *P. L.* 54, 148 A). Hic textus pariter affertur a Romano Pontifice, *loc. cit* (nt. 3).

loci », et « normas quas statuit Ipse ... pro dioecesi Romana, posset statuere pro suo territorio quilibet Ordinarius »[5].

Ut illustremus hanc possibilitatem, elegimus, ad instar exempli, quaestiones canonicas de locis sacris, quas hodie renovatio liturgico-pastoralis in honore posuit, quasque singulari cura ac zelo Synodus Romana pertractat.

4. Verumtamen accidit aliquando ut constitutiones synodales, aut legibus generalibus in beneficium dioecesis Romanae derogent[6], aut vim exserant etiam extra dioecesis Romanae territorium[7]. Et hae exsistunt *aliae duae causae* ac praestantissimae cur cognitio Synodi Romanae etiam extra Urbem, ex parte intersit, ex parte etiam fere necessaria videatur.

Ideo, quo facilius quisque hanc notitiam sibi comparare posset, opportunum duximus tum de derogationibus in Synodo contentis, tum de constitutionum synodalium extensione etiam agere; eoque magis quia, inter constitutiones de locis sacris nobis commentandas, aliquis articulus derogatorius invenitur, qui nos cogebat ad hoc argumentum aliquo saltem modo attingendum.

5. Quae cum ita sint, patet hanc dissertationem tres partes habituram, quarum *prima* quaestiones recentiores de locis sacris complectetur; *altera*, legum generalium derogationes; *tertia* tandem, quae erit valde brevis, extensionem constitutionum synodalium extra dioecesis Romanae territorium.

Per modum *appendicis* adiciuntur tabulae, sive articulorum S.i R.ae prout canones *C. I. C.* afficiunt, sive canonum prout ab articulis afficiuntur.

In hoc fasciculo *Periodicorum* dumtaxat pars I editur; reliqua in sequenti edentur, Deo favente.

---

5 U. NAVARRETE, S. I., *De iurisdictione ad audiendas confessiones iuxta constitutiones Primae Romanae Synodi*, in: *Periodica* 50 (1961) 163.

6 Cf. art. 3.

7 Cf. art. 3, § 2, et 9, § 1.

PARS PRIMA.

QUAESTIONES RECENTIORES DE LOCIS SACRIS.

Haec pars, ratione materiae, duas sectiones obtinebit, primam ecclesiis, alteram sepulturae ecclesiasticae dedicatam.

Sectio prima. De ecclesiis.

Summarium. I. De ecclesiarum aedificatione (n. 6-19). II. De dedicatione (n. 20-24). III. De decore (n. 25-32). IV. De ecclesiarum ministris inferioribus (n. 33-37).

I. DE ECCLESIARUM AEDIFICATIONE.

a. De requisitis aedificationi praeviis.

6. In legislatione de arte sacra [8] sollemne est principium ut Episcopus ne concedat facultatem aedificandi ecclesiam, priusquam aliquo modo sibi constet praesto esse tum ecclesiae architectonicam descriptionem, tum media pro constructione, conservatione, etc. necessaria.

Antiquissima dispositio hac super re est decretum quoddam, quod Gratianus Concilio Aurelianensi attribuit: « Nemo ecclesiam aedificat, antequam Episcopus civitatis veniat, et ibidem crucem figat, publice atrium designet, et ante praefiniat quae aedificare vult, quae ad

---

[8] Legislatio de arte sacra collecta est primum a G. MARIANI, *La legislazione ecclesiastica in materia d'arte sacra,* Roma 1945, et deinde a Card. C. COSTANTINI, *La legislazione ecclesiastica sull'arte,* in: *Fede e Arte* 5 (1957) 359-447. In hac collectione, p. 410 b, producitur textus e *Pontificali Romano* quem statim allegamus (cf. nt. 10-11); sed in utraque collectione praeteritur textus cuidam Concilio Aurelianensi attributus a Gratiano (cf. nt. 9) tum verba celeberrima ex canone 4 Chalcedonensi (a. 451) deprompta (*Acta Conciliorum Oecumenicorum,* ed. E. Schwartz, tom. II, vol. 3, pars 3 [Bln.-Lpz. 1937] p. 93, *30-31* (lat.); *ibid.* vol. 1, pars 2, p. 159, *13-14* (graece); I. D. MANSI, *Sacr. Conciliorum collectio,* vol. VII [Florent. 1762] 359 D; 360 D, etiam 174). Cf. S. MANY, *Praelectiones canonicae de locis sacris* (Paris 1904) p. 13, n. 4.

luminaria, et ad custodiam, et ad stipendia custodum sufficiant; et, ostensa donatione, sic domum aedificet »[9].

Haec sapiens praescriptio transiit praesertim in *Pontificale Romanum,* tit. de benedictione et impositione primarii lapidis[10], ubi cautio oeconomica fere eisdem verbis retinetur[11], dum, e converso, cautio architectonica, quae antea videbatur tota aedificii descriptionem complecti: « quae aedificare vult », hic, ratione, ut videtur, ritus explendi, reducitur ad loci et atrii designationem[12]. Sua vice *Pontificale Romanum* est praecipuus fons can. 1162, § 2, in quo unice cautio oeconomica recipitur, omissa cautione architectonica, vel quia, prout exstabat, magis ad ritum quam ad canones pertinebat, vel quia aliquo modo implicite continebatur tum in ipsa cautione oeconomica, tum in praescripto de tuenda arte sacra in ecclesiarum aedificatione (can. 1164, § 1).

---

9 Cap. 9, Dist. I, de Consecr. (utimur textu magis vulgari editionis Chr. H. Freiesleben [Coloniae Munatianae 1757] paucis locis divergente ab ed. crit. Aem. Friedberg, *Cp. Iur. Can.* I, 1296). S. Many (sicut iam Ae. Friedberg) iuxta Pithoei *Observationes ad Codicem et Novellas,* Parisiis 1689, p. 158, censet eiusmodi canonem non procedere ex Conc. Aurelianensi, sed « ex Juliani *Epitome Novellarum,* Const. LXI, c. 1, qui ipse breviter contraxit duas Iustiniani *Novellas,* nempe nov. CXXXI, c. VII, et nov. LXVII, c. II. Unde hic canon, ex se ipso, nullam vim habet; attamen propter suam cum canone Calchedonensi conformitatem et insertionem in *Decreto* Gratiani, summam nactus est auctoritatem ... » (*op. cit.,* p. 14).

10 *Pontificale Romanum,* P. III, Tit. 2, ed. H. Dessain, Mechliniae 1958, p. 237. Laudata praescriptio etiam ex parte recepta est tum in Honorii III *Ep. ad reginam Hungariae,* a. 1222, de dotanda ecclesia quam cupiebat aedificare (cap. 8, *X, de consecratione ecclesiae vel altaris,* III, 40: ed. Ae. Friedberg II, 634 s.), tum in Resolutione S. C. Ep. et Reg. « *Nullius Altamurae* », 18. Nov. 1617 (*C. I. C. Fontes* IV, p. 737, n. 1693). *Ex parte,* inquimus; nam in utroque documento cautio architectonica omittitur.

11 « ... et quid ad luminaria, quid ad rectoris, ministrorumque stipendia sufficiat, quidque ad Ecclesiae dotem pertineat, definiatur », *ibid.*

12 « Nemo Ecclesiam aedificet, priusquam Pontificis iudicio locus et atrium designentur, et quid ad luminaria ... », etc., sequitur ut in nota praecedenti.

7. Tandem legislator synodalis, magna prudentia usus, per art. 738, § 1 urget cautionem oeconomicam pro parte quae ad sumptus constructionis spectat, et praeterea *Codicem* complet urgens quoque perantiquam cautionem architectonicam:

> Nulla ecclesia aedificari potest, nisi ea in antecessum excogitata et descripta sit eiusque sumptus aestimatus; quae omnia exactissimo iudicio et a Consilio dioecesano Artis sacrae sunt examinanda et a legitima Auctoritate probanda; atque pro certo habeatur pecuniam suppetere ad opus perficiendum.

Prudentia, quam dixi, in eo est quod hoc praescriptum occurrit duobus malis quae nostris diebus non adeo raro accidunt. Primum est neglectio artis sacrae in aedificiis cultus, propter praeviam aedium descriptionem aut nullam, aut praeproperam, aut inconsultam [13]. Alterum malum est sic dictus « optimismus » quoad possibilitatem colligendi pecunias ad solvendas expensas constructionis, dummodo haec incipiatur; unde non semel evenit ut sacerdotes aedificationem aggressi, solvendi impares, aut damnum omnino grave architectis, peritis et operariis intulerint, aut magnum aes alienum susceperint, non sine gravibus incommodis, aliquando etiam propriae ipsius sacerdotis valetudinis.

b. De ecclesiarum artistica constructione.

8. Quoad ipsam aedium sacrarum descriptionem et constructionem, ars sacra postulat ut architectura in utroque suo essentiali elemento, scl., structura et superstructura, observet functionalitatem et aestheticam domui Dei congruam [14].

---

13 Eadem cautela habetur in eiusdem art. 738, § 2, relate ad aedificia quomodocumque reficienda: « Ne aedificiorum modus mutetur neve quid ei adiciatur, si vel de partibus onerandis vel de conformatione agitur alicuius ecclesiae vel sacelli, nisi mandata a legitima ecclesiastica auctoritate in antecessum sint habita ». Cf. praeterea art. 740, de rebus artis non reficiendis sine mandato legitimae ecclesiasticae auctoritatis.

14 Bini conceptus: *structura* et *superstructura*, ex architectura

Hoc supremum architecturae sacrae postulatum sobrie attingitur in can. 1164, § 1: « Curent Ordinarii ...

---

sumuntur, ubi *structura* solet designare muros, parietes, columnas, contignationes, tecta, etc., quatenus fundamentalem alicuius aedificii veluti compagem efficiunt. *Superstructura,* autem, significat imprimis quidquid structurae coniungitur ornatus praesertim causa, ut sunt colores, marmora, vitra (« vetrate »), musiva opera (« mosaici »), picturae ipsi muro adhaerentes (« affreschi »), etc.; deinde quodvis aliud quod tanquam structurae primum complementum adicitur, v. g., laquearia, transennae, etc., in ecclesiis, vero, altare, tabernaculum, baldachinum, etc.

Ex arte in genere derivant alii bini conceptus: *functionalitas,* scl., seu talis rei configuratio ut fini seu functioni suae omnino aptetur, et *aesthetica,* seu formarum pulchritudo, quae visui et animo placet. Fere hoc sensu N. MAURICE-DENIS BOULET adhibet recenter voces *fonctionnalité* et *expressivité*: « On peut dire en gros que *la fonctionnalité* avait commandé surtout le plan des églises, tandis que *l'expressivité* avait commandé l'élévation et le mode de couverture » (*La leçon des églises de l'antiquité,* in: *M.-D.* [= *La Maison-Dieu*] nr. 63 [1960] 29-38: citatio in p. 36). Cf. etiam Episc. V. A. TARANCON, *La parroquia hoy,* Salamanca 1961, p. 242. De cetero in arte sacra radix functionalitatis est ipsa liturgia, ut acute et intelligenter animadvertit JOSÉ M. VALVERDE: « La arquitectura y el arte en la iglesia tienen ... su medula funcional en la liturgia » (*Cartas a un cura excéptico en materia de arte moderno,* Barcelona 1959, p. 87). De functionalitate decorationis et de modo quo obtineatur in *symbolis,* non autem in *illustrationibus,* accurate et psychologice scripsit TH. MERTON, *Absurdity in Sacred Decoration,* in: *Worship* 34 (1959/60) 248-255.

Circa artem sacram in genere, cf. articulos qui allegantur infra in nt. 16. Normae valde practicae pro clericis quibus incumbit officium promovendi constructionem vel refectionem alicuius aedificii vel alius rei sacrae habentur tum in brevi opere citato J. M. VALVERDE (praesertim cap. IV-V) tum in articulis qui sequuntur: PIERRE PINSARD (archit.), *Ce que les architectes demandent aux curés,* in: *M.-D.* 63 (1960) 209-216; P. CARRIÈRE, *J'ai une église à aménager ...*: *ibid.* 159-189; et L. KAMMERER, *J'ai une église à construire*: *ibid.* 190-208; W. J. HOOGTERP, *Building a Parish Church,* in: *Worship* 32 (1957/58) 196-201; P. WINNINGER, *Construire des Églises* (Rencontres, n. 49), Paris 1957, ubi praesertim attenditur ad problema inopiae aedificiorum cultus solvendum per constructionem functionalem et oeconomicam, habita ratione eorum quae in diversis nationibus gesta sunt. Cf. praeterea directoria dioecesana artis sacrae quae pariter in nonnullis nationibus edita sunt, v. g. in Germania, et observationes quas circa elaborationem horum directoriorum scripsit W. VENNINGER, *A Dioecese Directs,* in: *Worship* 32 (1957/58) 192-196.

ut in ecclesiarum aedificatione vel refectione serventur formae a traditione christiana receptae et artis sacrae leges »[15]. Verumtamen haec verba fortasse alicui aequivoco obnoxia esse possunt, quasi illae *formae* et illa *traditio* essent intelligendae de stylis architectonicis praeteritis, v. g., de romanico, de gothico, etc., et non potius de cuiuslibet styli, quantumvis recentis, adaptatione ad praefatas functionalitatem et aestheticam domui Dei congruas, prout indicatur in S. OFFICII *Instructione de arte sacra*, a. 1952, quae est huius canonis veluti authenticus commentarius seu explanatio[16].

---

[15] *Collectiones* omnium legum de arte sacra vide supra, nt. 8. Quoad *Codicem Iuris Canonici* spectat, hi sunt canones qui uno vel alio modo de arte sacra agunt: 485; 534; 1161 s; 1164; 1178; 1191, § 1; 1192; 1203; 1210 s; 1261; 1268 s; 1279-1281; 1296; 1299; 1302; 1385; 1399; 1511; 1522; 2345-2347.

[16] *A.A.S.* 44 (1952) 542-546. In hoc documento sermo est tum de architectura, tum de arte figurativa. Quod architecturam attinet, sin minus verbis, saltem re, et valde accurate quidem, disseritur de functionalitate et aesthetica. Haec enim ad *functionalitatem* pertinent: « Sacra architectura, licet novas formas adsumat, nequit ullo modo profanis aedificiis adsimilari, sed semper munere suo, quod proprium est domus Dei ac domus orationis, fungi debet. Accedat quidem in aedificandis templis cura illa fidelium commoditatis, qua ipsi meliore visu animoque divina officia participare queat ». Haec autem ad aestheticam: « niteat quoque nova ecclesia pulchra linearum simplicitate, quae a fallacibus ornamentis abhorret; sed omnia devitentur, quae artis operisque quamdam negligentiam prae se ferant » (p. 544).

Circa hanc Instructionem S. Officii duplex genus commentariorum scriptum est, aliud potius liturgico-canonicum, aliud potius polemicum. Commentarios *primi generis* scripserunt Card. C. COSTANTINI, in: *Monitore Eccles.* 77 (1952) 375-381; P. PFEISTER, in: *Apollinaris* 25 (1952) 349-352; J. FERRANDO ROIG, in: *Rev. Españ. de Derecho Can.* 7 (1952) 937-949; A. THIRY, in: *Revue des Comm. Relig.* 24 (1952) 125-135; G. DEPAIFVE, in: *Nouv. Rev. Théol.* 74 (1952) 863-866; J. A. JUNGMANN, *Liturgie und Kirchenkunst*, Innsbruck 1953 (16 p.) et *Church Art*, in: *Worship* 29 (1954/55) 68-82; H. SCHMIDT, *Introductio in Liturgiam Occidentalem*, Roma 1960, p. 686-702, addita nota bibliographica. Eruditam crisim commentariorum potius *alterius generis* instituit S. ROVELLA, *Commento a commenti circa l'Istruzione del Sant'Ufficio sull'arte sacra*, in: *La Civ. Catt.* 104 (1953 I) 517-529; 654-665.

Porro, in S. R. art. 739 recipitur praescriptum *Codicis,* prout illustratur in laudata Instructione, ideoque omissis praefatis vocibus: *formae, traditio,* quae alicui fortasse confusionem ingerere possent:

> Consilium dioecesanum Artis sacrae in eo elaboret, ut in sacris aedibus aedificandis omnia sanae doctrinae bonisque normis artis respondeant ...

c. *De complexu aedium ecclesiae.*

9. Notum institutum gallicum, cui nomen *Centre de Pastorale liturgique,* sessionem aestatis proxime elapsae, Versailles celebratam, dedicavit studendae ecclesiarum aedificationi et supellectili [17]. In binis dissertationibus *complexus aedium ecclesiae* (« le groupe ecclésial ») obiter valde suadetur, licet sub respectu satis diverso. Nam N. Maurice-Denis-Boulet meminit studia recentiora circa naturam aedificiorum cultus in comperto posuisse antiqua templa christiana, quae erant veluti centrum vitale alicuius communitatis, nequaquam exstitisse solitaria, sed circum habuisse plures alias aedes, v. g., baptisterium, scholas, bibliothecam, hospitium, etc., per quas vita christiana fluebat, alebatur, diffundebatur [18]. J. Gelineau, inhaerens e converso hodiernis circumstantiis,

---

Recentius de arte sacra scripserunt: V. Fagone, *Il problema dell'arte sacra,* in: *La Civ. Catt.* 109 (1958 IV) 153-168; J. Pérez, *Situación actual del arte sagrado,* in: *Razón y Fe* 151 (1955) 167-174; et *Afanes y desmanes del arte sagrado actual*: *loc. cit.* 281-296. Huic argumento de arte sacra in genere et de sacra architectura in specie integer fasciculus dedicatus est in: *Worship* 32 (1957/58) 117-201. Cf. etiam *M.-D.* in nt. sequ.

[17] *Bâtir et aménager les églises,* in: *M.-D.* 63 (1960). Informatio brevis sed accurata tum de C.P.L., tum de aliis institutis liturgico-pastoralibus hodie in ecclesia florentibus, apud *Le renouveau liturgique,* p. 23-29. (Agitur de aliquo ex opusculis encyclopediae *Je sais - Je crois,* confecto in collaboratione a « Communautés sacerdotales de Saint-Séverin de Paris et de Saint-Joseph de Nice »). *Ibidem,* p. 29-31 invenies totam seriem congressuum recentiorum de re liturgico-pastorali habitorum, indicatis ephemeridibus, ubi acta eorum vel saltem aliqua super illis informatio reperitur.

[18] *Art. cit.,* p. 28-30.

concludit pariter ad opportunitatem erigendi novas aedes seu structuras ecclesiae annexas, et imprimis atrium, i. e., locum transitionis inter vias publicas et sanctuarium, ob multiplicem utilitatem [19], necnon diversas aulas, ne catecheses, secessus, instructiones praematrimoniales, catechumenatus, etc., intra ipsam aulam ecclesiae habeantur [20].

Eodem fere tempore typis edebatur Synodus Romana, in cuius art. 598, § 1 haec optata recentioris pastoralis per modum legis exhibentur:

> In novis ecclesiis condendis potissimum prae oculis habeatur cultus necessitates sacrique muneris rationes. Curandum ergo, ut:
>
> 1° Ecclesiae paroeciali adiungantur domus paroecialis, aulae quoque christianae doctrinae tradendae, sedes consociationibus congregandis, egendis adiuvandis officia, auditoria fidelium coetibus convocandis;
>
> 2° sacrarium prope altare maximum collocetur;
>
> 3° rursus in honore habeatur vestibulum et porticus, quippe quae secessum rebus profanis interponant, ad animos colligendos accommodatum.

---

19 « Il faut donc, entre la rue et le sanctuaire, un espace: 1° pour servir de transition entre le monde profane et le lieu des mystères; 2° pour favoriser la communauté et les échanges entre chrétiens qui on participé a la même communion et développer entre eux l'esprit de famille paroissiale; 3° pour désencombrer l'église des avis, affiches, brochures, journaux, petits commerces et autres choses semblables qui trouveront mieux leur place sous un porche extérieur que dans le lieu saint; 4° pour permettre enfin de larges voies d'accès et de sortie sans pourtant nuire au caractère clos et silencieux du lieu du culte proprement dit » (*La nef et son organisation,* in: *M.-D.* 63 [1960] 84).

Relate ad silentium ecclesiae tutandum, non praetereunda haec norma S. C. Rituum in recenti *Instructione de musica sacra*: « Caveatur insuper ne, in aulis ad conventus et praesertim ad spectacula prope ecclesiam, vel, alio loco deficiente, subter ecclesiam exstruendis vel aptandis, aditus ex ipsis aulis ad ipsam ecclesiam pateat, neve strepitus ex iis proveniens sanctitatem et silentium loci sacri ullo modo perturbet » (*A.A.S.* 50 [1958] 652, n. 73).

20 *Art. cit.,* p. 84 s. Pro hac quaestione et pro his quae attinguntur numero sequenti, plura suggerit hic articulus collective scriptus: *L'accueil des fidèles,* in: *M.-D.* 63 (1960) 147-158.

d. De ecclesiarum superstructura in genere.

10. Quae hactenus sive ex *Codice*, sive ex Synodo Romana retulimus, praesertim sub n. 8, *structuram* ecclesiarum spectant. De functionalitate et aesthetica *superstructurae* sensu largo intellectae (comprehendentis nempe tum ornatum structurae, tum aedificii sacri prima complementa, v. g., altare, baptisterium, imagines, etc.) vix habentur praescriptiones in legislatione universali de arte sacra. Utique, sermo est de ornatu tabernaculi eiusque altaris in can. 1269, § 2; 1268, § 4; et, quoad imagines, habetur quaedam dispositio, potius negativa, in can. 1279; praeterea in recentioribus SS. Congregationum documentis normae perhibentur sive de imaginibus [21], sive de altari populum versus, de musicis instrumentis, de organo, etc. [22]. Attamen non paucae quaestiones, hodie apud liturgistas et artis sacrae cultores pertractatae, nondum in praefatis legibus et documentis receptae sunt.

---

[21] S. CGR. S. OFFICII, *Instructio de arte sacra,* 30 Iunii 1952, in: *A.A.S.* 44 (1952) 545; cf. bibliographiam in nt. 16. Ad rem quoque communicatio eiusdem S. Officii circa imaginem Iesu Christi Divini Operarii, 8 Dec. 1951, publici iuris facta a Card. C. COSTANTINI, *La legislazione ecclesiastica sull'arte,* in: *Fede e Arte* 5 (1957) 428 b.

[22] De tabernaculo et altari populum versus exstat decretum S. Cgr. Rituum, 1 Iun. 1957 (*A.A.S.* 49 [1957] 425 s), cuius commentarium habes in: *Eph. Liturg.* 71 (1957) 442-445. Cf. praeterea J. H. MILLER, *Altar Facing the People: Fact or Fable,* in *Worship* 33 (1958/59), ubi huius altaris naturam iustificat, et F. MCMANUS, *Mass Facing the People: ibid.* p. 123-125; rationes suadentes, vel minus, eiusdem altaris erectionem etiam apud A.-M. ROGUET, *Le lieu de la réserve,* in: *M.-D.* 63 (1960) 106 s. Cf. infra nt. 29.

De musicis instrumentis, de sonitus multiplicatione et aliis agit S. CGR. RITUUM *Instructio de musica sacra et de sacra liturgia,* 3 Sept. 1958 (*A.A.S.* 50 [1958] 630-663). Quaedam dubia circa eius interpretationem soluta sunt a Card. Praefecto et videri possunt in: *Eph. Liturg.* 74 (1960) 457 s. Commentarios Instructionis scripserunt: F. ANTONELLI, in: *L'Osservatore Romano,* 2 Oct. 1958 (vd. transl. anglicam in: *Worship* 33 [1958/59] 626-637); J. LOEW: *ibid.* p. 2-13; H. SCHMIDT, in: *Periodica* 47 (1958) 420-480; F. ROMITA, in: *Monitor Eccl.* 83 (1958) 637-655.

Insignis igitur laus est S. R. has quaestiones ut plurimum considerare, eisque ponderatam, pulchram solutionem praebere. Quodsi aliquas non attingit, v. g., de sede Episcopi in ecclesia paroeciali [23], de loco altaris tabernaculi [24], de sede confessionali [25], de loco scholae cantorum assignando [26], etc., ideo fortasse est quia nondum

---

[23] Haec quaestio de sede episcopali in paroecia sic proponitur a H. SCHMIDT, S. I.: « Praeses ecclesiae paroecialis est Episcopus, loci Ordinarius. Sed unica persona, quae in ecclesia paroeciali suum locum proprium non habet, est Episcopus: si ecclesiam visitat, ei thronus provisorius accommodatur. Sin autem Episcopo in ecclesia paroecialis locus fixus datur, oritur quaestio, ubi eius cathedra ponenda sit » (*Introductio in Liturgiam Occidentalem*, Romae 1960, p. 695).

[24] Cf. A.-M. ROGUET, *Le lieu de la réserve*, in: *M.-D.* 63 (1960) 114-124, praesertim p. 121 ss., ubi studet problemati an altare tabernaculi debeat esse aliud ab altari maiori diverso, necne, et inclinat in responsum affirmativum. H. SCHMIDT attingit duplicem aspectum templi christiani, quod est simul et *aula actionis liturgicae*, et *domicilium Christi praesentis* in Eucharistia, unde opportunitas loci diversi in templo pro unaquaque eius functione, sicut fit in cathedralibus. Attamen merito animadvertit quod huius quaestionis « solutio ... non pertinet ad unumquemque sacerdotem » (*op. cit.*, p. 694).

[25] Utiliter conferri potest M. DUHAMEL, *Les confessionnaux*, in: *M.-D.* 63 (1960) 154-157, qui breviter sed valde practice disserit circa formam sedium confessionalium et locum ubi utiliter constitui possunt in ecclesia, attenta paenitentium psychologia. Ex eo, autem, quod Confessarius Christi vices gerat, auctor eruit hanc sequelam, vere novam, de optanda mutua confessarii ac paenitentis visibilitate: « Tout d'abord, du fait qu'il tient la place du Christ, il est souhaitable que le pénitent le voie et qu'il voie le pénitent: la confession n'est pas le don anonyme d'un élixir de grâce, mais un rapport de personne à personne, une rencontre du pénitent avec le Christ présent sous les traits du prêtre ».

Haec absque dubio optimo spiritu ac intentione scripta sunt; sed fortasse non subscribantur a plerisque paenitentibus, sive viris sive feminis, quippe qui persaepe « anonymam » confessionem amant; ac praeterea attenta naturae humanae infirmitate, verendum ne, si traditionalis ac praescripta cautela in audiendis feminarum confessionibus praetereatur, aliquando de nobis dici possit quod de israelitis commiserantibus Gabaonitas usque ad praetereundum mandatum Domini scripsit THOMAS A KEMPIS (*De imitatione Christi*, lib. III, c. 38, n. 10): « falsa pietate delusi sunt ».

[26] De religiosis mulieribus canentibus in propria ecclesia vel oratorio publico praescribitur quod « tali e loco canant, ubi a

sunt sufficienter maturae ut de illis lex aliqua, etsi particularis, ferri possit.

Iam vero, quaestiones illae solutae inveniuntur ut plurimum in Parte III, *De cultu divino*, sub Tit. VII, cap. I, *De locis sacris* (art. 596-622); quibus adiungemus articulos de eodem argumento qui in aliis partibus S. R. iacent.

e. De altari.

11. Cum altare sit elementum ecclesiae praecipuum, propter eius dignitatem ontologicam et symbolicam [27], facile intelligitur quo zelo R. S. eius honori consulat. Ad quod etiam spectat quod altare sit natura immobile seu fixum (can. 1197), et unicum in singulis ecclesiis, vel saltem non facile multiplicetur:

> 618. § 1. Altare, imago Christi, divini Sacrificii sedes et totius aedis sacrae veluti centrum, digne ac decore condatur ac servetur.
>
> § 2. Singillatim, ad altare maximum quod attinet:
>
> 1° mensa ampla sit;
>
> 2° ubi ut decet altare a muro seiunctum est, non licet adicere tabulas fixas inter altare et parietem; neque partem altaris posticam latebrae instar efficere: altare libere circumiri possit; ...
>
> § 3. Altaria portatilia perraro in ecclesiis usurpentur. Caveatur tamen, ne qui sacra facit Augusto Eucharistiae sacramento terga vertat. Vitandum quoque est ne altarium numerus sine necessitate augeatur.

---

populo conspici nequeant» (can. 1264, § 2). In recenti instructione de musica sacra idipsum de cantoribus in genere praescribitur: «... cantores vel musici in suggestu consistentes, a fidelibus in aula ecclesiae adunatis conspici nequeant» (*A.A.S.* 50 [1958] 651, n° 67), cohaerenter cum praecedenti et antiquiori disciplina, quam collegit F. Romita, *Codex iuris musicae sacrae*, can. 84, § 2 (ed. 2ª, apud *Monitor Ecclesiasticus* 84 (1959) 251-312).

Problema practicum eiusque solutionem competenter considerat J. Gelineau, S. I., *La nef et son organisation*, in paragrapho altera: *Le lieu de la chorale et de l'orgue*, in: *M.-D.* 63 [1960] 76-83).

[27] Studium theologicum, liturgicum ac pastorale de altari scripsit A.-M. Roguet, *L'autel*, in: *M.-D.* 63 (1960) 96-113.

Cum hac vere pulchra constitutione arcte coniungitur haec alia circa crucifixum: « Iesu Christi cruci affixi effigies, quae praecipuas partes in altari habet ..., solida ex materia et, quoad fieri potest, pretiosa esse debet », et talis magnitudinis ut « ab omnibus commode conspici queat ». (Art. 588, § 1. Cf. art. 590 circa altaris candelabra).

12. Huc etiam spectat quaestio de altari *populum versus*. Hac in re non agitur de liturgica possibilitate, cum antiquitus altare populum versus admittatur a rubricis [28], et iterum nostris diebus approbatum sit a Sacra Rituum Congregatione [29], sed dumtaxat de convenientia pastorali in singulis casibus, ne, quod statum est propter aedificationem fidelium, possit aliquando, sive propter templi configurationem sive propter alia adiuncta, in eorum detrimentum vergere [30]. Ideo R. S., supposita solutione positiva quaestionis de iure, prudenter reservat ad Vicariatum quaestionem de facto in art. 618, § 2, 3°:

> Opportunitas et ratio collocandi altare *populum versus* a Vicariatu agnoscenda sunt.

Et bene adhuc adicitur in art. 590, § 2:

---

28 Cf. *Missale Romanum, Ritus servandus in celebratione Missae*, c. 5, n. 3: « Si altare sit ad Orientem versus populum, Celebrans versa facie ad populum, non vertit humeros ad altare cum dicturus est *Dominus vobiscum* ... ».

29 Haec approbatio implicite habetur in decreto d. 1 Iunii 1957, ubi sub n. 4 dicitur: « In ecclesiis ubi unicum exstat altare, hoc nequit ita aedificari, ut sacerdos celebret populum versus; sed super ipsum altare, in medio, poni debet tabernaculum ad asservandam Ss.mam Eucharistiam ... » (*A.A.S.* 49 [1957] 426). Circa hoc ipsum argumentum dixerat PIUS XII in *Allocutione* habita die 22 Sept. 1956 *ad omnes qui interfuerunt Conventui internationali de Liturgia pastorali,* Assisii habito: « La manière, dont on pourrait placer le tabernacle sur l'autel sans empecher la célébration face au peuple, peut recevoir diverses solutions, sur lesquelles les spécialistes donneront leurs avis » (*A.A.S.* 48 [1956] 722). Cf. supra notam 22.

30 Cf. supra nt. 22.

Quod si altare ad populum spectet, candelabrorum forma et magnitudo propriis usibus congruere debet [31].

f. De Tabernaculo.

13. Hac in re S. R. satis est in memoriam revocare praescripta sive can. 1268, § 2, sive *Instructionis* S. C. de Sacramentis, a. 1938 [32], (cf. art. 526 et 590) [33], addita quadam commendatione quoad formam et ornatum: « Tabernaculum ... ad formam ornatumque quod attinet, translaticiis congruat exemplis ab iisque formam sumat » (art. 526 d), quod videtur intelligendum de tentoriis portatilibus populorum nomadum seu transhumantium [34].

g. De Baptisterio.

14. Baptisterium, quippe totius vitae christianae primus fons, maximum honorem et religiosam venerationem meretur, quae vel in ipsa architectonica constructione resplendeat necesse est [35]. Praebet praeterea ansam op-

---

[31] Haec si praetereantur, evenient quaedam ridicula, prout facete narrat José M. Valverde: « Ahora se habla mucho del altar de cara al pueblo; pero si no se organiza bien, el resultado puede ser peor. Recuerdo lo que vi en ...; el altar estaba cara al pueblo, como era la vieja costumbre, pero sobre él se habían acumulado seis enormes candelabros barrocos, que, con unos jarrones de flores y un enorme sagrario, tapaban por completo al celebrante ... » (*Cartas a un cura excéptico en materia de arte*, Barcelona 1959, p. 95).

[32] *A.A.S.* 30 (1938) 198-207. Haec *Instructio* confirmata fuit a. 1941 per *Hortationem* ad eam studiosius servandam: *A.A.S.* 33 (1941) 57. Ad rem quoque decretum de tabernaculo et altari versus populum supra nt. 22 cit.

[33] In hoc art. 590 § 1 sicut commendatur ut altare Eucharistiae « recentibus floribus exornetur », ita « arte flores facti vetantur ».

[34] Cf. superius dicta in n. 10 et in nota 24 de altari in quo potius reponendum est tabernaculum.

[35] Cfr. M. Mainar Elpuente, *La liturgia sacramental*, inter dissertationes lectas in sessione studiorum liturgico pastoralium Zaragoza habita, 23-28 Sept. 1957, et editas in vol. *La Parroquia*,

portunissimam catechesi de initiatione christiana, sive oretenus fiat, prout habetur in ritu benedictionis fontis in Vigilia Paschali peragendo [36], sive intuitive per parietum pictoricam decorationem, sicut praeclare intellexerunt primaevi christiani, qui quidem in baptisteriis et sepulcris artem pictoricam primo adhibuerunt [37].

Haec fides ac veneratio elucet in S. R. art. 609, ubi praescriptis de baptisterii constructione et ornatu, alia duo coniunguntur, sensu realistico plena, circa ordinem et munditiem:

> Baptisterium, post altare et tabernaculum sacratissimus ecclesiae locus est; quapropter:
>
> 1° nitidum sit, rebus omnibus amotis, quae non sint ad baptisma ministrandum necessaria;
>
> 2° sit elegans, clarum, Baptismatis imaginibus ornatum; [38]
>
> 3° sal, Olea sacra, vestis candida, cereus, quaecumque opus sunt ad ministrandum Baptisma, proprio custodiantur armario, probe ad locum aptato, sicco atque idoneo.

At veneratio fontis baptismalis nuspiam fortasse aut magis festiva aut etiam tenerior praescripta quam in art. 626, § 1:

> Per hebdomadam, quae Paschatis festum sequitur, salutaris lavacri fons floribus facibusque exornetur; idemque, dum Vesperarum cantus eduntur vel dum Eucharisticae supplicationes vespere habentur, turificari potest.

---

esa vieja novedad, p. 137-184, praesertim p. 161 ss.; A.-M. ROGUET, *Le baptistère,* in *M.-D.* 63 (1960) 125-134.

36 *Ordo Hebdomadae Sanctae instauratus, Sabbato Sancto,* n. 20-3, Typis Polygl. Vatic. 1961, p. 122-132.

37 N. MAURICE-DENIS BOULET, *La leçon des églises de l'antiquité,* in *M.-D.* 63 (1960) p. 38.

38 Aliqui liturgistae (v. g., M. MAINAR, *loc. cit.,* p. 162) optarent ut per aliquot gradus descendendum esset ad fontem baptismalem, quo magis intuitive apprehenderetur consepultatio cum Christo per baptisma. De facto ita structus est fons in aliquibus baptisteriis romanis. Sic etiam construitur recenter, v. g., in Ecclesia S.tae Elisabeth, in urbe Köln-Mülheim, a. 1952/54. (Cf. photographiam in *Neue Koelner Kirchen,* s. a., p. 29).

h. De imaginibus.

15. Functionalitas imaginum sacrarum praeclare describitur in art. 600, § 1. Tunc indicantur in § 2 illae notae vel qualitates, quibus consequenter imagines gaudere debent ut illam finalitatem attingant:

> § 1. Effingendi ars eo in ecclesia contendit, ut Deo laudem tribuat, fideles perdoceat eorumque foveat pietatem.
> § 2. Ipsa igitur esse debet:
> a. intuitu facilis;
> b. religionis sensu uber;
> c. in arcanis signis usurpandis sobria;
> d. a rationibus aliena, quae fidelium pietatem religionemque perturbent ac vel tantum imminuant, aut fastidii vel pessimi exempli causa sint.

Huius theoriae veluti applicatio habetur ubi describuntur divinae Passionis imagines vel tabulae, quae crucibus ligneis sic dictae *Viae crucis* addi possunt (art. 611, 1°-3°). Et adhuc adicitur praescriptum redundans simul et moderatione et elementali sensu artistico, toties, proh dolor!, intemperanter laeso:

> 4°. Imagines forma et magnitudine et dispositione cum architectura sacri aedificii ne pugnent [39].

16. Denique, quoad imaginum exhibitionem, R. S. incedit eadem via restringendi earum numerum et perficiendi qualitatem, quam adeo feliciter inchoavit S. Officium per supra citatam Instructionem [40]. Nam in art. 546 prohibet tum usum, Romae adeo vulgatum, exhibendi duas imagines in eodem altari — aliam maiorem retro, aliam minorem in primo plano — (§ 1), tum statuas vel tabulas pictas extra altaria collocare absque licentia Auctoritatis ecclesiasticae; haec autem non concedetur nisi agatur de illis imaginibus « quae cultu, vetustate,

---

[39] Pro artistica confectione *Viae crucis* utile erit studium B. Bagatti, *Per una « Via Crucis »*, in: *Fede e Arte* 6 (1958) 140-162, ubi praebet elementa archaeologica et etiam reproductiones photographicas plurium imaginum *Viae crucis*.

[40] Cf. supra notam 21.

vel arte praestant, dummodo decore collocentur magnique pretii materia sint exstructae » (§ 2).

i. De pulpito et sacrorum ministrorum sede.

17. Legislator synodalis ita describit pulpitum et sacrorum ministrorum sedile ut in primo ad functionalitatem (art. 608), in altero ad sobriam simplicitatem potius attendat (art. 619):

> Pulpitum ita locetur, ut fideles commode audire possint conciones, non nimis distans ab altari, cautoque ne concionis audiendae causa fideles terga vertant altari maximo. Commendantur ambones, qui, appositis amplificandae vocis instrumentis, magno sunt usui sive ritibus liturgicis sive concionibus habendis.
>
> Quoad sacrorum ministrorum sedile haec animadvertantur oportet:
>
> 1° sit sine ulla divisione inter sacerdotem litantem et ministros;
>
> 2° uno gradu consistat;
>
> 3° dorso sit plano, qui cooperiri potest panno pro liturgico diei colore;
>
> 4° ei sellae suffici non possunt.

Haec praescripta de sedili fortasse sunt minutiora. Referunt tamen quamdam rubricam Ceremonialis Episcoporum [41] et plura decreta S. C. Rituum illam interpre-

---

[41] Ad hoc praescriptum alludit Episcopus Turritanus in consultatione facta ad S. Cgr. Rituum a. 1614, cui respondet eadem S. Congregatio in primo decreto citato in nota sequenti, et videtur hoc esse: « Si vero forte Episcopus celebrans, non in sede propria, sed in faldistorio sederet, ut, quia adesset Legatus, vel alius Cardinalis ei superior, tunc ipse presbyter assistens sedebit in aliquo scamno prope altare versus cornu epistolae simul cum diacono et subdiacono ». Vel potius aliud hoc: « In Ecclesiis Collegiatis, ubi Episcopus nec celebrans nec praesens est... satis erit scamnum oblongum coopertum aliquo tapete aut panno aptari a latere epistolae, in quo sedeat Sacerdos celebrans cum Diacono et Subdiacono » (*Ceremoniale Episcoporum* iussu Clementis VIII Pont. Max. reformatum, Romae: typis Lepidi Fatij, 1606, lib. I, c. 7, p. 34 et c. 12, p. 78). Utrumque praescriptum fere intactum perseverat in editione 3 post typicam (Romae 1948, p. 18, n. 4; 41, n. 22).

tantia[42], quorum finis est cavere ne Canonici vel alii fortasse coram Episcopo celebrantes sedem obtineant excellentiorem vel parem ipsius Episcopi sedi, sed humiliorem. Notum enim est quod sedium qualitates auctoritati sedentium aliquo modo ionvenire debent.

Usus nunc crescens altaris populum versus quaestionem ponit an liceat celebranti uti sede quae est in abside, reservato throno de more Episcopo ad cornu Evangelii; quod videtur aliquando in usu fuisse[43].

j. De illuminatione, de soni amplificatione ac de campanis.

18. Recentiores methodi illuminandi necnon megaphonia incunctanter recipiuntur in S. R., quae in eis adhibendis sollicita est de assequenda plena functionalitate, de cavendo periculo sive incendii sive alius detrimenti, de sectandis selectae artis postulatis.

Itaque in illuminatione, vetitis candelis, lampadibus electricis et ornatibus collucentibus circa imagines (art. 613, § 2), suadetur sic dicta *illuminatio indirecta*: « Intra ecclesiam lux educatur potius ex occulto fonte radiante: qui quidem modus, debitis servatis cautionibus, etiam ad illuminandas tabulas et imagines adhiberi poterit » (§ 1); megaphonia autem ita secundum sonorum leges componantur ut « auditio sit satis gravis et iucunda » (art. 614, § 1).

19. Quoad campanas attinet, S. R., firmis statutis sive *Codicis*[44] sive S. C. Rituum[45], duo indicat earum usum respicientia. Et primo quidem laudat usum roma-

---

[42] Decreta d. *19 Maii 1614* (*Decreta authentica Congregationis Sacrorum Rituum*, Romae, Typ. Polygl. S. C. de P. F., 1898 ss., vol. I, *n. 320*), 23 Martii 1641 (*ibid.*, n. 743), 31 Iulii 1665 (ibid. n. 1320), 4 Aprilis 1699 (*ibid.*, n. 2027, 2), 27 Aprilis 1704 (*ibid.*, n. 2135, 2) et *17 Septembris 1822* (op. cit., vol. II, *n. 2621, 6*). Typo italico indicantur decreta quae maioris momenti sunt.

[43] A.-G. Martimort, *Place du siège du célébrant*, in: *M.-D.* 63 (1960) 135-7.

[44] Can. 1169.

[45] *Instructio de musica sacra et sacra liturgia*, n. 86-92, in: *A.A.S.* 50 (1958) 655 s.

num eas pulsandi sive quotidie ad preces pro defunctis fundendas (art. 617, § 1), sive « sexta quaque feria, hora tertia post meridiem ... ad agoniam et mortem ipsam Divini Redemptoris recolendam » (§ 2). Praeterea, ad vitandas iustas civium querelas, prohibetur tum immoderatus vel inoportunus campanarum sonus (art. 616, § 3), tum etiam « usus megaphoniorum in ecclesiarum turribus vel plateis, ut actiones liturgicae, quae in ecclesia peraguntur, diffundantur », exceptis peculiaribus casibus a Cardinali Vicario probatis (art. 614, § 2).

II. De ecclesiarum dedicatione.

In constitutionibus synodalibus clare apparet voluntas legislatoris promovendi excellentiorem sanctificationem omnium locorum ad cultum divinum destinatorum, verumtamen intra ambitum quem *Codex I. C.* relinquit liberae Ordinariorum loci iurisdictioni. Itaque in hac paragrapho etiam explicite oratoriorum mentionem faciemus.

a. De dedicatione oratoriorum.

20. Notum est in *Codice* satis aperte distingui duplicem modum deputandi aliquem locum ad cultum divinum, scl., sive per merum actum iurisdictionalem seu simplicem destinationem (can. 1188, § 1, coll. cum can. 1192 1195 1196), sive per actum iuridicum-liturgicum

---

[46] Hic duplex modus deputandi locum aliquem ad cultum divinum supponit res sacras dividi seu distingui in *res sacras lato sensu* (eiusmodi sunt, praeter loca deputata ad cultum per simplicem destinationem, de quibus supra, tempora sacra — can. 1243 — et aliqua sacra suppellex — c. 1296), et *stricto sensu* (harum rerum definitio traditur in can. 1497, § 2, cuius applicationes habentur in can. 1154 pro locis, et in can. 1296 pro supellectile). Haec distinctio clare derivat ex ipsis canonibus, eamque expresse admittunt canonistae primae notae, v. g., E. Eichmann-K. Mörsdorf, (*Kirchenrecht*, vol. II, Paderborn, 1950, § 109, 2, b), quamvis M. Petroncelli videatur agi de « Tesi forse difficile a sostenersi » (*La « deputatio ad cultum publicum »*, Milano 1937, p. 34, n .7).

seu per destinationem cum dedicatione coniunctam (can. 1954) [46]; haec autem dedicatio consistit aut in sollemni consecratione, aut in benedictione constitutiva [47].

Iam vero *Codex* pro aliis locis alium modum deputationis praescribit, et quidem tanquam condicionem « sine qua non », ut in eisdem divina officia celebrari possint, nempe: pro ecclesiis et oratoriis publicis, destinationem cum dedicatione coniunctam (can. 1165 1191); pro reliquis oratoriis, simplicem destinationem per actum iurisdictionalem Ordinarii (can. 1192, § 1-3; 1195, § 1), ita tamen ut oratoria semipublica *possint* quoque dedicari more ecclesiarum per consecrationem vel benedictionem constitutivam, non autem oratoria privata seu domestica (can. 1196, § 1) [48], quae tamen ornari *possunt* communi locorum domorumve benedictione (§ 2).

21. S. R. reducit ad actum utramque hanc possibilitatem, praescribens quod « omnis locus divino cultui destinatus consecrari vel benedici debet » (art. 597, § 1); ubi clare comprehenduntur etiam oratoria semipublica et domestica, nam, iuxta *Codicem*, quodlibet « oratorium est locus divino cultui destinatus » (can. 118, § 1), unde concludendum videtur quod in dioecesi romana etiam oratoria semipublica et privata debent esse saltem benedicta, attamen non quovis modo, sed iuxta possibilitatem agnitam in *Codice*, scl., oratoria domestica solum per

---

[47] In *Pontificali Romano* dedicatio adhibetur tanquam synonymon consecrationis (P. III, tit. 2, *De ecclesiae dedicatione seu consecratione*, in edit. cit., p. 255); secus in can. 1165, § 1: « Divina officia celebrari in nova ecclesia nequeunt, antequam eadem vel sollemni consecratione vel saltem benedictione divino cultui fuerit dedicata ».

[48] In hac § 1 explicite tantum habetur prohibitio quominus oratoria domestica dedicentur; unde colligitur permissio relate ad oratoria semipublica, cum de utrisque sermo sit in canone, et quidem explicite in § 2. Idipsum clarius liquet ex S. C. Rituum decr. generali, d. 5 Iunii 1899, ad V: « In oratoriis autem, quae exsistunt in aedibus episcopalibus, Seminariis, Hospitalibus Domibusque Regularium, relativum Titularis Festum non celebrabitur, nisi in casu quo aliqua ex iis consecrata vel benedicta sollemniter fuerint » (*op. cit.*, vol. III, n. 4025); necnon ex doctrina auctorum (cf., v. g. A. VERMEERSCH - I. CREUSEN, *Epitome Iuris Canonici*, vol. II, Mechliniae [2]1954, n. 501, 3), et ex praxi.

communem benedictionem locorum domorumve, oratoria autem semipublica vel per eamdem, vel etiam per benedictionem constitutivam aut consecrationem qua ipsae ecclesiae dedicari possunt, ut paulo superius indicavimus.

Porro, aliqua sequela practica et veluti privilegium quo honestatur quodvis oratorium *sollemniter benedictum* est facultas ut habeatur « Augusti Sacramenti expositio e radiante theca diebus dominicis aliisque festis de praecepto, dummodo sufficiens adsit fidelium frequentia » (art. 529, § 1. Cf. can. 1274, § 1).

b. De quibusdam ecclesiis consecrandis.

22. Ad ecclesiarum necessariam dedicationem quod attinet, *Codex* liberum relinquit iis quorum interest modum quo dedicentur (can. 1165, § 1), una alterave exceptione facta. Nam ecclesiarum cathedralium consecratio absolute praecipitur; paroecialium autem collegiatarum et conventualium, in quantum fieri possit, seu valde commendatur (§ 3). Haec autem commendatio, in S. R. art. 597, hinc transit in praescriptum, scl., relate ad ecclesias paroeciales, et quidem absque dilatione implendum, hinc extenditur ad omnes reliquas ecclesias, collegiatis et conventualibus primum locum retinentibus:

> § 2. Ecclesiae paroeciales consecrentur fere ipso quo aperiuntur die, ad hoc populo aptis concionibus praeparato ...
>
> § 3. Praestat ceteras quoque ecclesias consecrari, collegiatas praesertim et conventuales.

c. De lapide primario benedicendo.

23. In tit. *De benedictione et impositione primarii lapidis pro ecclesia aedificanda* habetur rubrica praeliminaris ubi praescribitur quod « nemo ecclesiam aedificet priusquam ... per Pontificem, vel eius auctoritate, per sacerdotem .... lapis primarius in fundamento ponatur » [49]. Nihilominus in loco parallelo *Ritualis Romani*

---

[49] *Pontificale Romanum*, P. III, tit. 1, in edit. cit., p. 237.

mitior saltem praescriptio habetur [50]; immo, in can. 1163 ita sermo est de ministro benedictionis et impositionis primarii lapidis, ut tamen legislator abstineat ab ulla praescriptione eiusmodi benedictionis et impositionis. Ubi merito aliquis dubitaret an hodie urgeret illa rubrica *Pontificalis,* praesertim ubi agitur de ecclesia non consecranda.

At, quidquid de hac re sit, et abstractione facta de modo quo ecclesia dedicanda erit, S. R. art. 596 praescribit simpliciter:

> Aedificatio novae ecclesiae (cf. can. 1161) inchoanda est caerimoniis primarii imponendi lapidis, ex ritu in Pontificali et Rituali Romano praescripto (cf. can. 1163).

d. De anniversaria commemoratione consecrationis ecclesiarum.

24. Ubi aliqua ecclesia consecrata est, singulis annis festum consecrationis celebrari debet iuxta can. 1167. De modo autem celebrandi hanc anniversariam commemorationem satis est legislatori in citato canone praecipere ut fiat « ad normam legum liturgicarum ».

Iam vero e decretis S. C. Rituum constat tali die duodecim cereos accendendos esse coram duodecim consecrationis crucibus, muro sculptis [51]. Quod praescriptum est aptissimum ut festivitatis significatio per totum diem apud fideles intuitivo modo excitetur. Nam per unctionem illarum duodecim crucum et verba Pontificis effecta est ecclesiae consecratio, ita ut *lapides pretiosi* fierent omnes *muri* eius [52]. Ideo commendat R. S. in art. 597, § 2:

---

[50] « Nulla ecclesia aedificetur sine expresso Ordinarii loci consensu scriptis dato, quem tamen Vicarius Generalis praestare nequit sine mandato speciali. Si sacerdos, eius aedificationis primarium lapidem benedicendi potestatem habens ab Ordinario, ejusmodi functionem peragat, hunc ritum servabit ... » (*Rituale Romanum,* tit. 9, cap. 9, § 16, n. 1).

[51] Decretum d. 13 Decembris 1895 (*op. cit.,* vol. III, n. 3876, 6, 7). In aliquibus locis consuetudo est ut cruces etiam thurificentur sive in Missa a Diacono, sive in Vesperis a Celebrante (decr. d. 12 Septembris 1884: *op. cit.,* vol. III, n. 3621, 1).

[52] Ex antiphona quae cantatur cum fit initium unctionis cru-

Festum consecrationis ecclesiae quotannis sollemniter celebretur, neque inter praecipua divina officia candelae ante duodecim consecrationis cruces non accendantur.

Fortasse quaeret quispiam an illa « divina officia » intelligenda sint etiam in aliis diebus festis praeter anniversariam consecrationis commemorationem. Respondendum videtur negative, tum ex ipso tenore articuli (ubi divina officia potius intelligenda colligata cum anniversaria celebratione), tum ex laudatis decretis S. C. Rituum, ubi illa candelarum caerimonia praecipitur « per integrum et solum diem [anniversariam] incipiendo a primis vesperis », et permittebatur die octava eiusdem anniversarii ecclesiae consecratae [53].

III. De ecclesiarum decore.

25. « Domum Dei decet sanctitudo ». In hac sententia et aliis similibus, toties usurpatis in liturgia de ecclesiarum dedicatione [54], vox *sanctitudo* intelligenda est sensu pleno, scl., non solum de sanctitate quae ei accrescitur per dedicationem, verum etiam de quacumque honestate et decore. Sic in can. 1178, ubi, vigore enuntiati principii, et commendatur mundities in ecclesiis, et prohibetur quidquid profanum sit: « Curent omnes ad quos pertinet, ut in ecclesiis illa munditia servetur, quae *domum Dei decet;* ab iisdem arceantur negotiationes et nundinae, quamquam ad finem pium habitae; et generatim quidquid a *sanctitate* loci absonum est ».

---

cum (*Pontificale Romanum*, P. III, tit. 2, edit. cit., p. 338). Pro ritu consecrationis ecclesiarum cognoscendo quoad eius historiam ac significationem, cf. A.-G. Martimort, *Le rituel de la consécration des églises*, in: *M.-D.* 63 (1960) 86-95.

53 Decretum d. 13 Decembris 1895, supra cit.

54 *Breviarium Romanum, Commune dedicationis ecclesiae*, 1 ant. in I Vesperis, Invitatorium, versus ad I Nocturnum, etc. Fons huius ant. est *Ps.* 95,5: « Domum tuam decet sanctitudo (*nov. vers.* sanctitas), Domine, in longitudinem dierum ».

a. De munditie.

26. Ad munditiem domus Dei quod attinet, alius commentator *Codicis* aliud vel suggerit vel respicit. Sic Eichmann-Mörsdorf, designant, magno sensu practico, quinam sint illi « ad quos pertinet, ut ... illa munditia servetur », scl., non solum rector ecclesiae et ministri seu inservientes, verum etiam ecclesiam visitantes- [55]; Alonso animadvertit munditiem sectandam non solum in ecclesia, verum etiam in sacra suppellectile [56]; M. Conte a Coronata attentus est ad vestes et corporalia [57], etc. In hac linea S. R. cavet singulari modo munditiae tum baptisterii, ut supra indicavimus (n. 14), tum etiam parvi fontis aquae benedictae, non raro ultra modum neglectae!: « Lustralis aquae labra digna sint ac munda » (art. 607).

27. Nonnulli auctores [58] ad munditiam et reverentiam domui Dei debitam censent quoque pertinere modestiam de qua can. 1262, § 2: « Viri in ecclesia vel extra ecclesiam, dum sacris ritibus assistunt, nudo capite sint, nisi aliud ferant probati populorum mores aut peculiaria rerum adiuncta; mulieres autem, capite cooperto et modeste vestitae, maxime cum ad mensam Dominicam accedunt ».

Acute advertit Vermeersch in hoc praecepto, relate ad viros, duplici ex causa exceptionem expresse admitti; relate autem ad mulieres, ex nulla [59]. Quo non obstante, videtur aliquando excusationem admitti posse, non quidem quoad modestiam in vestibus, at certe quoad capitis velationem. Ad rem S. R., quae, dum districte modestiam vestium exigit etiam a viris (art. 525, § 1-2), nec solum a fidelibus cum divinis officiis adsunt, verum etiam ab

---

[55] *Kirchenrecht*, vol. 2, § 167, II, 2.
[56] *Código de Derecho Canónico*, Madrid [6]1957, p. 444.
[57] *De locis et temporibus sacris*, Augustae Taur. 1922, n. 31.
[58] Cf. VERMEERSCH-CREUSEN, *op. cit.*, n. 491, 2; E. F. REGATILLO, *Institutiones Iuris Canonici*, Santander [4]1951, vol. II, n. 23.
[59] *Op. cit.*, n. 584, 2-3.

omnibus qui aedes sacras invisunt (§ 3) [60]; tamen, velationem capitis mulierum, fortasse aliquatenus neglectam in Urbe, non urget, sed sat ei est ad can. 1262 [61] remittere (§ 1).

b. De rebus profanis tolerandis, permittendis aut arcendis.

28. Ubi quaestio est de rebus profanis per relationem ad locum sacrum, auctores notabili quadam unanimitate distinguunt inter ea quae certo certius ab ecclesiis arcenda sunt, et ea quae tolerari, immo quae, servatis servandis, permitti possunt.

Primo breviter agemus de rebus tolerandis, et dein curabimus exponere mentem auctorum, S. C. Rituum et S. R. circa arcenda et permittenda.

29. Typicus casus *tolerantiae* est venditio rerum ad cultum vel devotionem pertinentium in ingressu ecclesiae, dummodo absque perturbatione fiat. Ad rem Vermeersch: « Interdum tamen toleratur ex consuetudine et difficultate reperiendi alium locum magis aptum, ut, prope ianuam, paucae res piae, cerei potissimum, valde quiete vendantur » [62]. Et, sicut Vermeersch, sentiunt auctores fere communiter.

Tamen S. R. contrario modo hac in re decernit art. 604:

> Vetitum est candelas, imagines, Rosarii coronas, libros aliasque religionis res vendere in ecclesiis atque oratoriis, in sacrario et in aditu locorum sacrorum.

Absque dubio haec dispositio, licet severior, magis conformis est decori qui domum Dei decet. Sed est praeterea alia ratio quae tolerantiam illius usus in Urbe dis-

---

60 Haec modestia iterum commendatur occasione nuptiarum: « Sponsi et hospites decentes vestes induant et pie se gerant » (art. 507, § 2).

61 Numerus 1265 in textu Synodi prostans est error typographicus, cum ille canon agat de iure asservandi Ss. Eucharistiam.

62 *Op. cit.*, n. 491, 3.

suadere videtur, scl., maior facilitas quae adest ut illae res piae emantur in bene multis apothecis, quae ad vendenda obiecta sive religiosa sive « in Urbis memoriam » (*ricordi*) destinatae sunt.

Corollarium huius prohibitionis est praescriptum art. 546, § 3:

> Quoties fideles optant, pietatis causa, votivas candelas in sacris aedibus accendi, eas tradant ecclesiae rectori, cuius curae erit eas exhibere, quae et fidelium voluntati et liturgicis normis et Vicariatus praescriptis respondeant [63].

30. Veniamus ad res *arcendas* ab ecclesiis, aut in eisdem *permittendas,* circa quas aliqua difficultas occurrit in conciliandis praescriptis S. R. cum normis S. C. Rituum.

Iam pridem auctores, inter res arcendas absolute ab ecclesia, solent enumerare imprimis res ex natura sua a sanctitate loci absonas, ut sunt nundinae, iudicia, profani ludi theatrales, etc. [64]; quibus inde ab a. 1912, ex praescripto S. C. Consistorialis [65], adiungunt proiectiones cinematographicas [66]. E converso, pariter iam dudum

---

[63] Per hunc articulum non videtur prohibita praxis in aliquibus ecclesiis Urbis exsistens, ut prope altare Ss. Sacramenti vel B. V. Mariae praesto sit in mensula convenienter aptata copia candelarum, quas, deposita ibidem eleemosyna, et absque interventu tertii, accipere possunt ipsi fideles, easque in candelabro votivo, quod etiam prope est, collocare.

[64] Cf. A. REIFFENSTUEL, *Ius canonicum universum,* In decretal. lib. III, t. 49, De immunitate ecclesiarum, n. 12 ss., Romae 1831 ss., t. III, p. 732 s.; F. SCHMALZGRUEBER, *Ius ecclesiasticum universum,* In decr., loc. cit., § 2, De immunitate locali, n. 84-86, Romae 1843 ss., t. VII, p. 658 s.; F. SUÁREZ, *De religione,* tr. II. lib. 3, c. 4-7: ed. Vivès, t. XIII, p. 394 ss.; F. X. WERN , *Ius decretalium,* t. III, Romae 1901, n. 447; S. MANY, *Praelect. canon. de locis sacris* p. 87-90.

[65] Decretum d. 10 Dec. 1912: *A.A.S.* 4 (1912) 724.

[66] Cf. MATTHAEUS CONTE A CORONATA, *Institutiones Iuris Canonici,* t. II, Romae ^{4}1950, n. 751. In eius opere *De locis et temporibus sacris,* licet edito a. 1922, nondum est inclusa prohibitio supra dicta: cf. n. 41. E. F. REGATILLO, *Institutiones iuris canonici,* Santander ^{4}1951, t. II, n. 23; E. EICHMANN - KL. MÖRSDORF, *Kirchenrecht,* t. II, Paderborn 1950, § 167, II, 2.

unanimiter existimant posse a legitima auctoritate permitti ut in ecclesiis, remoto Ss. Sacramento, habeantur quidam actus non sacri, qui tamen locum sacrum non dedecent, et insuper aliquam utilitatem religioni afferunt, ut sunt honestae disputationes litterariae, collatio graduum academicorum, concentus musici, etc.[67].

31. S. C. Rituum, in Instructione a. 1958[68], imprimis sibi stat absolutae prohibitioni latae a. 1912 a S. C. Consistoriali circa usum proiectionum cinematographicarum, qui iterum « in ecclesiis, quacumque de causa quamvis pia, religiosa aut benefica, *strictissime vetatur* » (n. 73, p. 652). Praeterea sancit doctrinam canonistarum de permittendis concentibus musicae in ecclesiis, dummodo habeatur licentia Ordinarii loci, et serventur servanda (n. 55, p. 648). Denique addit nova praescripta relativa ad machinas noviter inventas, sive sonoras, sive telivisivas sive photographicas, ita ut accurate distinguat et tempora et machinas:

1° Usus machinarum quae reproducunt musicam vel vocem antea impressam (ut autoorganum, magnetophonum), vel ea simpliciter transmittunt (ut radiophonium), « *absolute vetatur* » *in actionibus liturgicis et piis exercitiis*[69], sive haec intra, sive extra ecclesiam per-

---

67 Cf. REIFFENSTUEL, *loc. cit.*, n. 14 et 19, p. 732 733; SCHMALZGRUEBER, *loc. cit.*, n. 84, p. 658; SUÁREZ, *loc. cit.*, c. 4, n. 15; c. 6, n. 4: ed. Vivès, p. 398 404; MANY, *op. cit.* p. 89, 4°, a; item WERN , REGATILLO, EICHMANN - MÖRSDORF *locis citatis*. Singulari modo ad rem faciunt verba MATTHAEI CONTE A CORONATA eo quod ad praxim Urbis appellat: « Disputationes litterariae vel etiam musicales honestae, collatio graduum academicorum per se non prohibentur, praesertim si de rebus religiosis et scientiis sacris agant, ut ipsa praxis romana admittit » (*op. cit.*, t. II, n. 751 a).

68 *Instructio de musica sacra et sacra liturgia*, 3 Sept. 1958: *A.A.S.* 50 (1958) 630-663. Cf. supra nt. 22.

69 « ... sunt '*actiones liturgicae*' illae actiones sacrae, quae, ex institutione Iesu Christi vel Ecclesiae eorumque nomine, secundum libros liturgicos a Sancta Sede approbatos, a personis ad hoc legitime deputatis peraguntur, ad debitum cultum Deo, Sanctis ac Beatis deferendum (cfr. can. 1256); ceterae actiones sacrae quae, sive in ecclesia sive extra, sacerdote quoque praesente vel praeeunte, peraguntur, '*pia exercitia*' appellantur » (*A.A.S.* 50 [1958] 632, n. 1).

agantur; eisdem tamen « uti licet », extra praefatas actiones et exercitia, et quidem in ipsis ecclesiis, v. g., ad audiendam vocem R. Pontificis, ad instituendum populum in canticis religiosis, et similibus (n. 71, p. 652).

2° Machinae receptrices seu camerae operatoriae ad telediffundendum visionem vel sonum, necnon et machinae photographicae permittuntur etiam in actionibus liturgicis et intra ecclesiam, dummodo neque sacris ritibus neque adstantium pietati sint impedimento (n. 75, p. 653).

Unde ex dictis constat S. C. Rituum duo absque exceptione prohibere, scl., proiectiones cinematographicas in ecclesiis, et machinas soni reproductrices in actionibus sacris, sive intra sive extra ecclesiam; et tria, servatis servandis, permittere in ecclesiis, scl., concentus musicae religiosae, machinas soni reproductrices extra sacras actiones, et machinas receptrices seu operatorias etiam in sacris actionibus [70].

32. S. R. agit complexive de toto hoc argumento proiectionum, machinarum et concentuum in art. 615; et quamvis videatur re cohaerere cum praefata Instructione, nam bis eius praescripta recipit per verba « serventur praescripta a Sacra Rituum Congregatione de hac re data » (§ 1, et in nota marginali affertur citatio), necnon Vicariatus « cavebit ut omnia de huiusmodi re praescripta serventur » (§ 2), tamen verba ipsa aliud sonare diceres, fortasse quia dum brevis esse laboravit, obscura facta est:

> § 1. Stricte in ecclesia vetantur, nisi licentia a Vicariatu obtenta sit, acroases, imaginum proiectiones, quas vocant, musicae auditiones. Habita autem licentia, serventur praescripta a Sacra Rituum Congregatione de hac re data.
>
> § 2. Radiophonica, cinematographica seu televisifica spectacula intra vel extra ecclesiam fieri non possunt, nisi obtenta definita licentia Vicariatus, qui quidem cavebit, ut omnia de huiusmodi re praescripta serventur.

---

70 Sub nomine *actionis sacrae* comprehendimus tum *actiones liturgicas* tum etiam *pia exercitia*, de quibus in nota praecedenti.

Ut videre est, in § 1 prohibentur per modum unius et cum eadem possibilitate obtinendae exceptionis, praeter acroases, tum imaginum proiectiones, tum musicae concentus seu auditiones, quo evenit ut praescriptio S. R. quoad proiectiones mitior, quoad concentus rigidior evadat quam Instructio S. C. Rituum.

Similiter eveniret in § 2, nisi quod (ex errore fortasse typographico) videntur omissa verba quae mentionem facerent *de actionibus liturgicis ac piis exercitiis,* unde textus evasit genuino sensu orbatus: nam, iuxta iacentem tenorem, prohibentur spectacula radiophonica, cinematographica seu telivisifica absque indolis ac temporis determinatione, seu *in genere,* etiam extra ecclesiam, quod patet a mente et voluntate legislatoris synodalis esse alienum. Aliter, iuxta S. R. non liceret (nisi obtenta definita licentia e Vicariatu) audire Papam per radiophonium in ecclesia, ne quidem extra actiones liturgicas et pia exercitia; quod tamen licet iuxta Instructionem, et quidem absque necessitate ulterioris licentiae.

Quae cum ita sint, videtur hunc art. 615 interpretandum iuxta praefatam Instructionem, cuius placita legislator synodalis retinere velle bis asserit. Et confirmatur haec opinio ex eo quod in art. 612, ubi ex parte iterum agit de eodem argumento, scl., de machinis photographicis, omnino adhaeret Instructioni, nam permittit earum usum etiam in actionibus liturgicis — sicut permittit Instructio —, addito quodam moderamine ad mentem eiusdem Instructionis, quae aliquatenus sollicitam se exhibet circa facultatem photographis factam, « attenta facilitate qua se et machinas quocumque transferre possunt » (n. 76, p. 653):

> « Dum in ecclesiis sacri ritus peraguntur ... unus photographus, venia a parocho vel ecclesiae rectore habita servatisque modis ab alterutro impositis, paucas imagines lucis obiectu exprimere poterit, remoto quovis fidelium vel sacerdotum incommodo.

IV. De ecclesiae ministris inferioribus.

33. Nostris diebus in pluribus regionibus duo problemata praecipue posita sunt quoad ecclesiae ministros inferiores seu inservientes de quibus can. 1185. Primum aedituos seu sacristas respicit, quorum saepe invenitur indoles deficiens, efformatio manca, retributio incongrua. Alterum respicit pueros altari ministrantes, qui partim propter obligationes scholares, partim propter ipsorum Rectorum ecclesiae neglectum, rariores in dies sunt.

Hinc est quod hodierna renovatio liturgica valde sollicita sit quoque de numero et formatione horum ecclesiae inservientium, qui adeo efficaciter decori sanctuarii et splendori liturgiae conferre possunt. Cuius sollicitudinis eloquens est testimonium tum realizationes practicae quae in pluribus locis factae sunt, tum scripta quae ad hos ministros inferiores efformandos edi etiam periodice diversis linguis edi coepta sunt.

S. R. utrique huic problemati etiam consulere voluit, et quidem per accuratam legislationem, ubi breviter sed ex ordine definitur quidquid ad aedituos et ad coetum puerorum altari ministrantium pertinet [71].

---

[71] Pro aedituorum *Archiconfraternitatis S. Ioseph* erectione, cf. Mons. P. C. Van Lierden, *Dietro il portone di bronto. Il governo centrale della Chiesa, oggi,* Roma 1961, p. 107. In citato can. 1185 sermo est praeterea de aliis ecclesiae inservientibus, v. g., de campanarum pulsatore, de sepulcrorum fossoribus, etc. Quod fossores attinet, cum plerumque coemeteria sint saltem sub cura civilis potestatis, accidit ut eadem de fossoribus curam gerat. Recenter tamen condita est in dioecesi Accitana (Guadix, España, 11 Februarii 1953) pia unio cui nomen: « Hermanos Fosores de la misericordia », et cuius finis est septimum misericordiae opus exercere, fideles defunctos sepeliendo et pro eis preces ac alia suffragia erogando. Hi fratres votis temporalibus ligantur ad triennium, quo elapso, vota perpetua emittunt. In praesenti habent domos duas, Guadix (Granada) et Jerez de la Frontera (Cádiz) sitas, et in utraque urbe eis coemeterium loci concreditum est.

a. De aedituis.

34. Legislator in unico art. 129 omnia comprehendit quae ad aedituos spectat, scl. morum honestatem, efformationem in doctrina christiana et re liturgica, etc.; at singulari bono sensu tractationem incipit et claudit urgens quae attinent ad congruam retributionem oeconomicam, de qua iam egerat can. 1524, et sine qua nec iustitiae satis fit, nec apti aeditui facile habebuntur.

> Aequum stipendium parochus aedituis solvat, ad normam art. 747, eosdemque opportunis inceptis adiuvet, ad pie honesteque vivendum, ad commissumque munus digne periteque tuendum. Curet pariter, ut iidem christianae doctrinae ac sacrae Liturgiae elementa discant, Quodsi officii exsequendi se imperitos vel indignos praestiterint, eos amoveat, pecunia iisdem soluta, quae ex Rei publicae legibus hac in re debetur.

In allegato art. 747, § 2 magis declarantur officia oeconomica erga aedituum, et adhuc in art. 748 plura adiciuntur magni momenti circa habitationis domum et sic dicta « subsidia socialia »:

> 747, § 2. ... iustae mercedi aedituorum eorumque securitati est consulendum, ex legis normis et ex consuetudinibus, quae nunc vigent.
>
> 748. ... si autem apud eum ipsae [personae, sc. aedituus et reliqui inservientes] vivant a quo sunt conscriptae vel apud coetum operarum conductorum, curandum omnino est, ut loca occupent ad sanitatem cum animi tum corporis apta, non modo sibi, verum etiam iis que legitime secum una vivunt. Praeterea iuxta legem tempestive consulendum est, ut earum personarum et caveatur securitati adversus infortunia, et curationi in infirmitatibus, et victui post desitam praestari operam [72].

Inter graviora aeditui officia invenitur custodia ecclesiae, quae utique per prius ad rectorem ecclesiae spectat. *Codex* obiter de hac custodia loquitur in can. 1265, § 1 per relationem ad SS. Eucharistiam. Idipsum gravi-

---

[72] In tota hac quaestione magni momenti et utilitatis est opus P. Benvenuto Ag. Giacon, *Tributi e previdenza, Guida per gli enti ecclesiastici e religiosi*, Padova 1958 (XX-436 p.) quamvis, ut patet, respicit italianam civilem legislationem.

bus verbis urget S. C. de Sacramentis per instructionem a. 1938 [73]. Quae disciplina recipitur in S. R. art. 603, et magno criterio practico urgetur.

b. De pueris altari ministrantibus.

35. Legislator synodalis integrum Tit. IV Partis III dedicat pueris altari ministrantibus, persuasus hoc esse « apostolatus genus magni momenti ». Consequenter praescribit ut horum puerorum coetus « in qualibet paroecia ... constituatur » (art. 561, § 1), perhibetque complexum normarum brevem quidem, sed ad hunc scopum aptissimum. Et quoniam neminem latet hac in re fere totum pendere a selectione puerorum et a Moderatoris dotibus et dedicatione, ideo prima norma esto ut: « Pueros rite selectos moderetur formetque parochus vel alius sacerdos, qui eius fiducia gaudeat omnesque vires impendat tamquam in apostolatus genus magni momenti » (ib.).

Iam vero, huius *formationis* veluti *materia* sic compendiatur:

> 563 § 1. Pueri istiusmodi, ad gratiae donum custodiendum, ad pietatem alendam, ad famulatum altaris pluris aestimandum conformentur.
>
> § 2. Sacris caerimoniis rite instituantur; ... integre proprieque ministrare addiscant.

Et quoad *formam* attinet, diligentissime procurandum ut pueris stimuli addantur ex motivis quae sanam aemulationem foveant et animi nobilitatem excolant. Itaque, « quamvis nummaria mercede remota, iisdem [pueris] meritorum puncta, quae vocant, assignentur » (art. 565, 2°).

36. Verumtamen praeter decorum altaris servitium, alii fructus merito sperantur capessendi ex hoc puero-

---

[73] *A.A.S.* 30 (1938) 201. Cf. quoque quae inferius in eadem Instructione dicuntur de oeconomico processu contra parochum vel rectorem ecclesiae, si forte furtum sacrilegum SS. Eucharistiae evenerit (p. 204 b). Haec Instructio confirmata fuit per *Hortationem,* 10. Dec. 1941 (*A.A.S.* 43 [1941] 57).

rum coetu tam diligenter exculto. In eo enim commodius institui poterunt, tum « *lectores* » pro ecclesiis paroecialibus, tum sic dicti « *pueri cantores* » (art. 565, § 1, 4°), quorum participatio in liturgia adeo confert ad splendorem cultus et ad pietatem fidelium. Ac memor legislator necessitatis collaborandi cum inceptis catholicis internationalibus, optat « ut puerorum cantorum chorus in Foederata omnium gentium consociatione adscribatur, quam a 'Pueris Cantoribus' vocant » (art. 575, 5°) [74].

Congruum praeterea videtur ut ex his pueris apparetur, magna ex parte saltem, ille iuvenum delectus, qui frequentare poterit scholam Romae instituendam « organicis atque paroecialis chori magistris erudiendis, qui in minoribus ecclesiis, officium suum, quantumvis simplex, digne obeant, ad liturgiae et artis normas » (art. 57b) [75].

37. Attamen huius coetus lectissimi fructus ac veluti ceterorum corona erunt *vocationes sacerdotales*, « quae prope altaria facilius oriuntur » (art. 561, § 2, 3°). Huc imprimis videtur spectare legislator instituens hunc puerorum altari ministrantium coetum. Quamobrem hos pueros « dioecesanum Opus ecclesiasticarum vocationum peculiaribus curis variisque inceptis reget atque iuvabit » (art. 562); prudenterque procurandum ut in eisdem « vocationis germina excitentur atque evolvantur » (art. 564, § 1); et denique si aliqui eorum, iam adulescentes, « indicia praebeant ecclesiasticae vocationis », adiuventur ut « in seminarium vel religiosum institutum admissio expeditior efficiatur » (§ 2).

---

[74] Organum huius Foederationis Internationalis Puerorum Cantorum sunt ephemerides trimestrales, in diversis linguis publicatae *Pueri Cantores* (Paris, rue E. Flachat, 15).

[75] Hi duo articuli 574-575 deprompti sunt ex Tit. V, *De musica et cantu sacro,* qui est optimum totius argumenti complementum.

Sectio secunda. De sepultura ecclesiastica.

Summarium. I. De exsequiis (n. 39-42). II. De sepelio ac sepulcris (n. 43-46).

38. M. Mainar graviter conqueritur de ignorantia qua populus christianus non raro afficitur circa liturgiam funeralem ac de modo vulgari qua ipsa haec liturgia saepe perficitur; cui utrique malo existimat urgens remedium afferendum per opportunam populi instructionem ac exsequiarum dignificationem [76].

S. R. nullum Titulum dedicat huic argumento, verumtamen hic, illic, plura statuit praescripta, quae, si complexive sumantur, aptissimum efficiunt corpus ad illa bona obtinenda, et ita quidem ut *Codicis* legislationem vix immutet, sed potius compleat ac vivificet.

Horum omnium praescriptorum velut fundamentum est significatio dogmatica sepulturae ecclesiasticae, quam obiter, at solide, statuit art. 622, § 2. In eo enim Legislator hortatur fideles ad visitandas in coemeteriis defunctorum reliquias, quippe « quae ibi custodiuntur diem resurrectionis spectantes, et ad fidem profitendam verbo Domini : ' qui reformabit corpus humilitatis nostrae configuratum corpori claritatis suae ' » [77].

Reliquae constitutiones synodales vel ad exsequias pertinent, vel ad ipsam sepulturam.

---

[76] *La liturgia sacramental,* in: *La Parroquia, esa vieja novedad,* Madrid 1958, p. 172. Cf. pulchram restaurationem ritus hodierni agonizantium et exsequiarum, iuxta primaevum sensum formularum et orationum ipsarum, quae etiam hodie in *Rituali Romano* adhibentur, apud T. R. PHILIPPEAU, *Pour une souhaitable ressourcement et complément du rituel de l'agonie et des funérailles,* in: *Eph. Liturg.* 71 (1957) 369-407.

[77] Cf. H. SCHMIDT, *Introductio in Liturgiam Occidentalem,* Romae 1960, cap. XX: « Paschalibus initiati mysteriis », praesertim § 9-10; J. LECLERCQ, *The Meaning of Life,* in: *Worship* 34 (1959/60) 178-184.

I. De exsequiis

a. De exsequiarum dignitate ac modestia.

39. Semel ac iterum commendatur decor ac dignitas in funeribus peragendis, quae tamen christianae modestiae ac sobrietati consentire debent, ideoque « ab ornamentis nimis sumptuosis et a nimio candelarum, florum ac sertorum numero abstineatur » (art. 520 § 2. Cf. art. 116, § 1).

Huic decori ac dignitati duo, inter alia, indirecte obesse possunt, scl., paupertas fidelium et frequentia defunctionum; quibus obviam fit R. S. suis praescriptis.

b. De pauperibus decenter funerandis.

40. In iure inde ab Alexandro VII provisum est ut pauperes *gratis* quidem sepeliantur [78], verumtamen *ac decenter*, ut expresse *Codex* praescribit, ad quod spectat ut funerentur « cum exsequiis, secundum liturgicas leges et dioecesana statuta, praescriptis » (can. 1235, § 2).

Secundum liturgicas leges exsequiae constant officio defunctorum, Missa exsequiali in cantu et absolutione ad tumulum, cum orationibus subsequentibus [79]; secundum statuta dioecesana, autem, possunt esse constitutae plures classes seu modi perficiendi exsequias liturgicas, maiori vel minori sollemnitate, et, consequenter, maiori vel minori addita taxa (can. 1234, § 2). Quilibet ex istis modis per se satis est ut defunctus pauper decenter funeretur. Immo, decenter adhuc funeratur etiamsi Missa exsequialis non cantetur, sed legatur, prout concessit S. C. Rituum a. 1899 [80].

---

78 « Cadaverum pauperum fidelium gratis omnino posthac a Parochis sepulturae tradantur, nec ad extorquendam aut emendicandam a vicinis vel affinibus eleemosynam publice exponantur »: Const. « *Sacrosancti* », 18 Ian. 1658, art. 19 (*C. I. C. Fontes*, vol. I, p. 452).

79 *Rituale Romanum*, tit. 7, c. 3.

80 Decretum d. 12 Iun. 1899 (*C. I. C. Fontes*, vol. III, n. 4024).

41. Sed quaestio specialis circa hanc *decentiam* ponitur occasione abbreviationis exsequiarum, praesertim per omissionem ipsius Missae exsequialis (nam omissio etiam totalis officii facilius permittitur a legibus liturgicis [81], adeo ut in aliquibus regionibus officium vel eius nocturnum solum habeatur cum defunctus fuerit sacerdos [82]). Haec enim Missa omitti potest quando eius celebrationi « obstet magna diei sollemnitas, aut aliqua necessitas aliter suadeat » [83]. Iam vero, sunt auctores [84] qui censent ad illam necessitatem etiam pertinere paupertatem defuncti, qui proinde eo ipso cum sola absolutione, etiam sine Missa, funerari posset. Tamen haec opinio nobis non probatur, quia videtur non satis facere nec christianae pietati erga defunctos in genere, nec decentiae qua — hodie praesertim — pauperes sunt funerandi.

Ut autem hoc officium pietatis decenter fiat absque parochi detrimento, provideri posset fere sicut suadet S. R. art. 605, § 2:

> Optandum, ut in ecclesiis collocetur arcula stipibus recipiendis ad divina Sacrificia pro defunctis facienda: cuius ex proventu tot pro defunctis generatim sacrificia fiant, quot collationum summa, pro stipendio in dioecesi statuto, fert.

Iam vero, defunctos pauperes primo loco his eleemosynis frui congruum est.

---

81 *Rituale Romanum,* tit. 7, c. 3, n. 16 et 17.

82 Sic v. gr. in dioecesi Quebecensi: « Suivant une coutume générale dans la diocèse, on pourra continuer d'omettre l'office des morts aux obsèques des laïques et à celles des clercs qui n'ont pas reçu la prêtrise »: *Discipline diocésaine,* publiée par l'autorité de S. Ém. le Card. Villeneuve, O. M. I., Archevêque de Québec, Québec 1937, n. 740, cit. a Gédéon Petit, *La part paroissiale ou la quarte funéraire,* Québec 1946, p. 15.

83 *Rituale Romanum,* tit. 7, c. 3, n. 18.

84 F. Blanco Nájera, *Derecho funeral,* Madrid 1930, p. 175. Audimus apud aliquos esse praxim celebrandi exsequias cum Missa, sed apparenter, eo sensu quo Missam non pro defuncto pro quo fiunt reliquae exsequiae, sed pro alia intentione applicant. De hac praxi valet quod dicimus de illa opinione, et insuper reprobanda videtur, propterea quod fraudem vel fallaciam aliquam secumferat.

c. *De opportune occurrendo aucto funerum numero.*

42. Defunctionum numerus frequens, relative ad numerum sive paroeciarum sive sacerdotum in singulis civitatibus et pagis, facile intelligitur quantum nocere potest dignitati et integritati liturgicae exsequiarum.

Ad hunc numerum defunctionum augendum conferre aliquando etiam potest nosocomiorum erectio intra fines paroeciales. Huic difficultati obviam fit S. R., art. 154, 7°, per facultatem factam Cardinali Vicario, derogata lege generali, concedendi praefatorum nosocomiorum cappellanis « potestatem ... iusta funebria iis persolvendi, qui ibi defuncti sint ». Verumtamen de hoc praescripto — quod quidem in casu finalitatem habet longe ampliorem — infra sub n. 54-55 [65] latius agemus. Sufficiat hic indicasse hunc esse unum ex modis quibus multiplicato nimis funerum numero occurri potest.

II. De sepelio ac sepulcris

a. *De « oratiunculis » quae occasione funeris haberi possunt.*

43. Pastoribus animarum vix alia occasio magis propitia offertur sive instruendi populum christianum circa « aeternas veritates », sive accedendi ad fidelium animos et ad familiarum penetralia, quam gravis ac luctuosa opportunitas funerum.

Tamen, non raro hae opportunitates praetereuntur, tum quia funera ex crebro usu et obruente fortasse multiplicitate perfunctorie fiunt, tum ex psychologica quadam timiditate, tum denique quia legislatio canonica hac super re ita de facto interpretata est, quasi prohiberet quamlibet adlocutionem sacram funeris occasione. Liceat hoc assertum aliquatenus declarare.

---

85 Hi numeri pertinent ad partem in proximo fasciculo edendam.

44. Certum est laudes funebres personales defuncti, praesertim ad sepulcrum, sive a clerico sive a laico prolatas, esse praeter Ecclesiae consuetudinem [86]; quod tamen non prohibet quominus in ecclesia vel in coemeterio, die commemorationis defunctorum aut funerum occasione, parochus concionem ad populum habeat de morte, de resurrectione et similibus [87].

---

[86] *Ibid.*, p. 134. Cf. CONCILIUM PROVINCIALE LUGDUNENSE, Const. 20 (*Collect. Lacensis,* t. IV, 478). Nec contra superius assertum est usus orationum funebrium, quae inde a tempore SS. Patrum identidem habentur praesertim in ecclesiis, sive ab ipsis Episcopis, sive a competente Presbytero, de eorum mandato aut consensu, quando vita functus est vir aut sanctitate aut munere excellens. Hac in re eminent inter SS. Patres S. AMBROSIUS, qui quattuor celebres orationes funebres protulit, duas nempe de excessu fratris sui Satyri, habitas mense februarii 378, ipso die funeris et die septimo (*Corpus Scriptorum Eccles. Latin.* 73, 209-325; cf. 80*-89*, praes. n. 9), de obitu imperatoris Valentiniani, mense Augusti 392 (*ibid.*, p. 327-367; cf. p. 101*-106*), ac de obitu imperatoris Theodosii, quam laudationem pronuntiavit quadragesimo die post mortem, sc., V kal. Mart., « adsistente sacris altaribus Honorio principe », ut ait ipse Ambrosius, ac praesentibus multis militibus (*ibid.* p. 368-401; cf. p. 114*-117*); S. GREGORIUS NAZIANZENUS, cuius notae sunt orationes occasione mortis patris (MIGNE, *P.G.* 35, 985-1044), fratris Caesarii (*ibid.* 755-788), sororis Gorgoniae (*ibid.* 787-818), ac amici sui S. Basilii (*ibid.* 36, 493-606; cf. J. QUASTEN, *Patrology,* t. III ,243, et X. HÜRTH, *De Gregorii Nazianzeni orationibus funebribus,* Strassburg 1907); ac S. GREGORIUS NYSSENUS, qui accersitus fuit ter Constantinopolim ut orationes funebres consolatorias haberet, scl. in funere Meletii, Episcopi Antiochiae, maii 381 (MIGNE, *P.G.* 46, 851-864), in morte Pulcheriae, filiae imperatoris Theodosii, a. 385 (ib. 48, 864-877), ac demum in funere imperatricis Flaccillae, viduae Theodosii, 15 Septembris 385 (*ibid.* 48, 877-892; cf. J. QUASTEN, *op. cit.,* III, p. 278). Pro toto hoc argumento cf. L. RULAND, *Die Geschichte der kirchlichen Leichenfeier,* Regensburg 1901.

[87] Hunc usum referunt quoad diem Commemorationis Defunctorum CONC. PROV. VIENNENSE a. 1858, tit. 4, c. 16: « In die commemorationis defunctorum parochus, nisi tempestas immitior obstet, non facile omittat in coemeterio ipso concionem ad populum habere » (*Collectio Lacensis,* t. 5, c. 191), et CONC. PROV. PRAGENSE a. 1860, tit. 3, c. 13, n. 4 (*ibid.* 5, 487); quoad quotidiana funera CONC. PROVINCIAE TOLOSANAE a. 1850, decr. 106 (*ibid.* 4, 1063), cuius tenor refertur deinde in ipso textu huius dissertationis.

Attamen durante sic dicta « eversione gallica » et statim post, in usu haberi coeptum est ut laici orationes funebres defunctorum facerent, praesertim ad ipsorum sepulcrum [88], in quibus multa effutiebantur « de humanis potius quam de christianis virtutibus », vel fortasse etiam de iis quae praecise ad amorem et reverentiam erga ecclesiam conciliandum non pertinerent [89]. His de causis Concilia provincialia, praesertim in Europa centrali, quasi unanimiter prohibuere eiusmodi orationes [90], vel saltem ne clerus paroecialis eisdem interesset [91].

---

[88] Ad rem BLANCO NÁJERA, *op. cit.*, p. 134.

[89] CONC. PROV. AVENIONENSE a. 1849, tit. 5, cap. unic., n. 3 (*Coll. Lac.* 4, 342). Cf. CONC. PROV. BITURICENSE, infra, nt. 91.

[90] Prohibitio generalis invenitur v. gr. in CONC. PROV. URBINATENSI a. 1859, decr. 90: « Item ... funebres laudationes habere, nisi ab ecclesiastica auctoritate approbatas, nemo habeat » (*ibid.* 6, 32), et in CONC. PROV. PRAGENSI a. 1860, tit. 3, c. 13, n. 4: « Sermones funebres, ubi non sunt consuetudine introducti, non habeantur » (*ibid.* 5, 487); prohibitio specialis pro clericis refertur, e. gr., in CONC. PROV. LUGDUNENSI a. 1850, decr. 20, n. 7: « Nullo praetextu sacerdotes in tumulandi alicuius defuncti laudem concionentur » (*ibid.* 4, 478), et in CONC. PROV. BITURICENSI a. 1850, tit. 5, decr. de extrema unctione et sepult. eccl., n. 4: « Ipsis clericis non licebit huiusmodi encomia [ad tumulum] facere » (*ibid.* 4, 1117).

[91] CONC. PROV. AVENIONENSE a. 1849, tit. 5, cap. unic., n. 3: « Si, prout fit aliquando, ad tumulum oratio habeatur a laico et de humanis potius aquam de christianis virtutibus, clerus discedat expleto funere » (*ibid.* 4, 342).

CONC. PROV. LUGDUNENSE a. 1850, decr. 20, n. 7: « Ne intersint quidem istiusmodi concionibus quae in coemeteriis quandoque, praeter ecclesiae consuetudinem, a laicis habentur » (*ibid.* 4, 478).

CONC. PROV. ROTHOMAGENSE a. 1850, decr. 22, n. 2, prohibet sacerdotibus omnibus, nisi quis sit amicus defuncti; tunc ille assistere poterit, sed ut privatus (*ibid.* 4, 532).

CONC. PROV. AUSCITANAE a. 1851, decr. 138: « Inhibemus in exsequiis haberi funebres orationes sine Episcopi licentia. Impediantur laici quominus cuiusquam encomia in Ecclesia pronuntient; quodsi in coemeteriis contigerit, statim cum cruce Clerus, finitis precibus, recedat » (*ibid.*, 4, 1197).

CONC PROV. BITURICENSE, a. 1850, tit. 5, decr. de extrema unctione et sepultura ecclesiastica, n. 4: « Clero recedendum est prius a tumulo, si quae a laicis personis instituendae sint laudes defuncti. Id enim nihil attinet ad ecclesiasticum ritum, et plerumque minus religioso modo perficitur » (*ibid.*, 4, 1117).

Et haec videtur fuisse etiam ratio can. 1211 praescribentis ut « caveant Ordinarii locorum, parochi ac Superiores, ad quos spectat, ne in coemeteriis epitaphia, *laudationes funebres* ornatusque monumentorum quidquam prae se ferant a catholica religione ac pietate absonum ». Quin etiam, S. C. Consistorialis, d. 28 iunii 1917, generaliter prohibuit quominus elogia funebria a quopiam in ecclesiis recitarentur [92].

Ut planum est, eiusmodi prohibitiones nequaquam sunt contrariae antiquo usui concionandi, occasione funeris, circa aeternas veritates, prout opportune iam animadverterat Concilium Provinciae Tolosanae, a. 1850, coniungens in unico decreto et quod vetatur et quod licet: « Nullus, inscio vel non approbante Episcopo, mortuum in funere habita oratione laudabit: concio tamen aliqua haberi poterit qua humanae tantum miseriae status, mortis, iudiciique necessitas, qualitasque describetur » [93].

Hoc non obstante, bene intelligitur quomodo plerique, diversis de causis, prohibitionem ut absolutam practice intelligerent, vel saltem, deficiente ut plurimum positivo stimulo legis, ad concionandum non moverentur.

45. Ideo S. R., cupiens eiusmodi stimulos addere in re quae bono animarum adeo conferre potest, vult imprimis ut « hisce in moestis rerum adiunctis, demortui propinquis paterni animi sui sincerum dolorem parochus testetur » (art. 116, § 2); et, retenta saeculari prohibitione instituendi laudationem funebrem laicorum in ec-

---

[92] « Elogia funebria nemini recitare fas esto nisi praevio et explicito consensu Ordinarii, qui quidem, antequam consensum praebeat, poterit etiam exigere ut sibi manuscriptum exhibeatur » (*A.A.S.* 9 [1917] 332).

Haec prohibitio, in tota sua universalitate, scl., qua clericos et laicos complectens, videtur respicere solum ecclesias; non autem etiam coemeteria, saltem si de laicis agatur. Quod colligi potest ex loco parallelo *Codicis I. C.* — qui tunc temporis erat promulgatus, etsi nondum, expleta vacatione, vigorem obtinuerat — ubi eiusmodi orationes in coemeteriis non prohibentur laicis sed supponitur aliquando proferri (can. 1211).

[93] Decr. 106 (*Coll. Lac.*, 4, 1063).

clesiis, adiungit statim quod « occasione tamen funeris venia datur brevem accuratamque oratiunculam habendi, qua et propinquis defunctorum solatium afferatur, et eorum mentes, qui adsunt, ad christianae vitae sensum aeque ac mortis revocentur » (art. 271)[94].

b. De sepulcrorum ornatu.

46. Quoad ornatum sepulcrorum, S. R. non solum reassumit doctrinam expressam in S. C. Rituum decreto d. 30 oct. 1922, de non omittendis suffragiis vel minuendis propter impendendam potius pecuniam in ornatu sepulturae[95], verum etiam totidem verbis in memoriam fidelibus revocat ornata sepulcra « ad sublevandas dilectorum defunctorum animas non tam ... prodesse quam suffragia et omnia quae satisfactionis causa aguntur » (art. 622, § 3); attamen simul humanissime et christianissime suadet ut « sepulcra fidelium, qui in Domino requiescunt, ad solacium et corroboramentum vivorum, symbolis christianis fidei et spei adornentur » (§ 1).

Tandem legislator omnes invitat ad coemeteria in hoc spiritu visitanda, praesertim intra octavum diem a Commemoratione defunctorum (§ 2); quam piam visitationem expresse desiderat ut « clerus ne omittat » (art. 32, § 2).

IGNATIUS GORDON, S. I.

---

94 S. R. addit praeterea quamdam opportunissimam animadversionem, quae, si observetur, praevenit satis quidquid odiositatis perceptio taxae secum afferre posset: « (Parochus) cum sibi debitum petit et accipit, humanitatem modestiamque ostendat » (art. 116, § 2). Hic sensus humanitatis elucet in pluribus aliis S. R. locis et argumentis, adeo ut considerari possit veluti quaedam nota eius typica. Cf. art. 125; 147, § 1; 303, § 1; 324; 331, 1°; 353; 478 § 1; 709; etc.

95 *A.A.S.* 14 (1922) 598.

DE IEIUNIO EUCHARISTICO

NOTA

Nova disciplina circa ieiunium eucharisticum statuta in Motu proprio « *Sacram Communionem* » diei 19 martii 1957 (*A.A.S.* 49 [1957] 177) omnibus fidelibus accessum ad sacram Eucharistiam reddidit faciliorem, immo permultis fidelibus, qui antea propter ieiunium requisitum Corpus Christi sumere non poterant, iuxta novam disciplinam opportunitas datur recipiendi sacram Eucharistiam.

Leges vero humanae, etiam optimae, non in omnibus condicionibus personarum ac locorum urgeri possunt; unde sapientis legislatoris est, in casibus extraordinariis providere per opportunas dispensationes.

Praesertim pro sacerdotibus in missionibus observatio novae disciplinae difficilis esse potest; diebus festivis, et interdum etiam diebus ferialibus complures missionarii bis vel ter Missam celebrare debent, saepe cum homilia, non raro in diversis locis. Si per totum tempus observare debent ieiunium naturale, hoc fieri non potest sine damno sanitatis ipsius sacerdotis, praesertim si caelum est grave, aer pestilens, et sacerdos non semel vel bis, sed regulariter duas aut tres Missas celebrare debet.

Quapropter Ordinarii Indonesiae mense maio 1960 a Sacra Congregatione de Propaganda Fide petierunt facultatem:

> « Permittendi ut sacerdos, qui eadem die bis s. Sacrificium celebrat, inter primam et secundam Missam aliquid ad modum potus sumere possit, etsi spatium temporis inter Missas unam horam non expleat. Aliter ob difficultates itineris observatio ieiunii eucharistici impossibilis est ».

Sacra Congregatio de Propaganda Fide preces paululum mutatas transmisit ad Sacram Congregationem

Sancti Officii, petendo pro Ordinariis Indonesiae facultatem:

« Permittendi ut sacerdos in casibus binationis vel trinationis aliquid per modum potus sumere valeat, etsi non intercedat spatium unius horae inter Missas » (Protoc. n. 28/8/60).

Die 13 octobris 1960 (Protoc. 404/46 - 318/403) Sacra Congregatio Sancti Officii respondit:

« Sanctissimus Dominus Noster Ioannes, Divina Providentia Pp. XXIII, per facultates Supremae Sacrae Congregationi S. Officii impertitas, benigne indulgere dignatus est ut Ordinarii Indonesiae ipsi per se, quavis exclusa subdelegatione et graviter onerata conscientia super vera necessitate, sacerdotibus sibi subditis animarum curae operam dantibus, qui, in casibus binationis vel trinationis, naturale ieiunium absque certo et gravi incommodo servare nequeunt, veniam concedere valeant, sumendi aliquid per modum potus, exclusis tamen omnino alcoholicis aliisque quomodocumque inebriantibus, ante secundam et tertiam Missam, diebus dominicis aliisque festis de praecepto.

Qua facultate Ordinarii uti poterunt ad biennium, ita tamen ut dispensatio, in singulis casibus concessa, valitura sit pariter ad biennium a die concessionis computandum. Quo termino instante unusquisque Ordinarius Indonesiae accuratam relationem ad S. Officium transmittet, in qua, una cum singulorum sacerdotum adiunctis, dispensationem indicet ipsis concessam; qua tantum praehabita relatione, S. Congregatio facultatis prorogationem, si petita fuerit, concedet.

Contrariis quibuscumque non obstantibus ».

Facultas permittendi conceditur « *Ordinariis Indonesiae* », i. e. Episcopis, Praefectis et Administratoribus Apostolicis necnon eorum Vicariis generalibus aut Vicariis delegatis (can. 198); prohibetur quaevis subdelegatio (can. 199, § 2). « *Graviter onerata conscientia super vera necessitate* »: i. e. iudicium utrum necessitas adsit est apud Ordinarium qui permissionem concedit. « *Vera necessitas* » adest, si « iuxta prudens Ordinarii iudicium, notabilis partis fidelium bonum secundam vel tertiam Missam postulet » (cf. L. Buijs, S. I., *Facultates decennales cum Commentario,* Romae 1961, p. 56 ss.). Si necessitas binandi vel trinandi non adest, sacerdos post primam aut secundam Missam cibum et potum su-

mere potest et non indiget dispensatione. « Sacerdotibus sibi subditis »: in hac materia omnes sacerdotes qui in territorio Ordinarii celebrant sunt « *subditi* » (can. 14, § 1, 2°), unde permissio iis omnibus concedi potest. « *Animarum curae operam dantes* »: non requiritur, ut sacerdos *ex officio* curam gerat animarum; etiam sacerdos, qui *actu* operam dat animarum curae, v. gr. qui celebrat Missam in favorem fidelium, permissione uti potest.

« *Absque certo et gravi incommodo* »: sacerdos, qui semel vel bis debet binare aut trinare, exinde non patitur certum et grave incommodum, nisi sit infirmae valetudinis; secus sacerdos, qui regulariter bis vel ter debet celebrare Missam; in tali casu observatio ieiunii eucharistici certum et grave incommodum est, etiam pro iunioribus et fortioribus sacerdotibus, praesertim si praeter celebrationem Missae etiam debent habere homiliam, audire confessiones, etc. Iudicium, utrum adsit certum et grave incommodum, est penes Ordinarium; potest tamen Ordinarius concedere permissionem generalem et habitualem, determinando condiciones in quibus certum et grave incommodum praesumi potest.

Non tantum excluduntur alcoholica, sed etiam (verbis: « *exclusis aliis quomodocumque inebriantibus* ») alii potus inebriantes, qui tamen in Indonesia non adhibentur. Facultas denique limitatur ad « *dies dominicos et festa de praecepto* »: aliis diebus binatio et trinatio quidem concedi potest, sed potius erit exceptio et ideo dispensatio non est adeo necessaria. Permissio non potest concedi ultra duos annos: etiam ipsa facultas permittendi conceditur « *ad biennium* ». Expleto biennio Ordinarius relationem de permissionibus concessis ad S. Officium mittere debet; unde patet, Sacram Congregationem S. Officii concessisse facultatem potius « ad experimentum »; concessa facultas vero probat ulteriorem mitigationem disciplinae circa ieiunium eucharisticum, saltem in casibus extraordinariis non esse exclusam.

Ludovicus Buijs, S. I.

MONUMENTA

CONCILIUM, SYNODUS, CODEX IURIS CANONICI

IV

Acta Sanctae Sedis 1 ian. - 31 mai. 1961

VIDE ETIAM: Periodica 49 (1960) 67-141: Acta Sanctae Sedis 25 ian. - 31 dec. 1959.
Periodica 49 (1960) 267-320: Acta Sanctae Sedis 1 ian. - 5 iun. 1960.
Periodica 50 (1961) 44-135: Acta Sanctae Sedis 6 iun. - 31 dec. 1960.

ABBREVIATIONES: A.A.S. = Acta Apostolicae Sedis.
C. = Concilium.
O.R. = L'Osservatore Romano.
Periodica = Periodica de remorali canonica liturgica.
S. = Synodus.

I. - INDICATIONES INTRODUCTORIAE

Haec collectio IVa quoque secundum principia, in *Periodica* 49 (1960) 67-70 ac 267-268 et 50 (1961) 45-48 enuntiata, edita est.

1. De Concilio. — Hisce primis mensibus anni 1961 in studium rerum, quae in Concilio tractari poterunt, incumbunt coetus, quorum nomina ac munera in *Periodica* 49 (1960) 293-295 ac 50 (1961) 46 inveniri possunt. Aliquoties sessionibus Commissionum Concilio apparando ipse Summus Pontifex praefuit, vide *Periodica* 50 (1961) nn. 135 137-139 144 146 149 150 153.

Ad *Periodica* 50 (1961) 46 addenda sunt nomina praesidum, secretariorum, membrorum, consiliariorum ac consultorum Commissionum, quae inveniri possunt in:

L'Osservatore Romano: 19 23-24 ian.; 15 19 24 febr.; 2 12 15 18 23 25 mart.; 7 9 10-11 17-18 22 26 apr.; 12-13 25 mai.

Acta Apostolicae Sedis: 52 (1960) 1027-1028; 53 (1961) 59-60 124-126 182-184 235-236 283-284.

2. Notitia Editorialis. — Ultimus quo uti potuimus fasciculus Acta Apostolicae Sedis 53 (1961) est n. 5, die 6 maii editus; documenta ergo posteriora coacti sumus desumere omnia ex *L'Osservatore Romano.*

3. Correctiones, Addenda, etc. — Mutationes sequentes necessariae sunt in *Periodica* 50 (1961):

p. 62 et 91: titulus numeri 118 sic legatur: **14 nov.** (C). *Allocutio* Summi Pontificis habita in Petriana Basilica ad consilia coetusque Concilio Vaticano II apparando: A.A.S. 52 (1960) 1004-1014 (latine); Periodica 50 (1961) 317 (latine); italice, vide O.R. 14-15 nov. 1960 et Periodica 50 (1961) 95. - Notandum autem est, Summum Pontificem allocutionem habuisse lingua italica.

p. 123, 107 et 134: titulus numeri 123 sic legatur: **8 dec.** (C.S.): Ex *Allocutione* Summi Pontificis, in Basilica Liberiana habita christifidelibus Urbis, in festo Immaculatae Conceptionis Beatae Mariae Virginis: A.A.S. 53 (1961) 30, 31, 35-37; Periodica 50 (1961) 107.

p. 125 et 110: titulus numeri 125 sic legatur: **24 dec.** (C.): Ex *Allocutione* Summi Pontificis Em.mis

Patribus Cardinalibus ac Romanae Curiae Praelatis, in pervigilio Nativitatis D. N. I. Ch. Beatissimo Patri per Em.mum Sacri Collegii Decanum fausta omina offerentibus: A.A.S. 53 (1961) 39; Periodica 50 (1961) 110.

II. - SERIES ACTORUM CHRONOLOGICA

1960

118. - **14 nov.** (C.): *Allocutio* Summi Pontificis habita in Petriana Basilica ad consilia coetusque Concilio Vaticano II apparando: A.A.S. 52 (1960) 1004-1014 (latine); Periodica 50 (1961) 317 (latine); italice, vide O.R. 14-15 nov. 1960 et Periodica 50 (1961) 95.

1961

126. - **2 ian.** (C.): Ex *Nuntio scripto dato* a Summo Pontifice ad catholicos Helvetiae propter annum missionarium: KIPA 8 ian. 1961; Periodica 50 (1961) 327.

127. - **5 ian.** (C.): *Visitatio* Summi Pontificis ad Commissionem Centralem Praeparatoriam Concilii Oecumenici Vaticani II: O.R. 6 ian. 1961; Periodica 50 (1961) 327.

128. - **7 ian.** (C.): *Visitatio* Summi Pontificis ad Secretariatum ad unitatem christianorum assequendam: O.R. 7-8 ian. 1961; Periodica 50 (1961) 327.

129. - **7 ian.** (C.): *Audientia* Generalis: O.R. 9-10 ian. 1961; Periodica 50 (1961) 328.

130. - **16 ian.** (C.): Ex *Allocutione* Summi Pontificis in Consistorio Secreto: A.A.S. 53 (1961) 69; Periodica 50 (1961) 328.

131. - **18 ian.** (C.): Ex *Allocutione* Summi Pontificis occasione impositionis bireti cardinalitii: O.R. 20 ian. 1961; Periodica 50 (1961) 329.

132. - **2 febr.** (C.): Ex *Allocutione* Summi Pontificis post praesentationem Candelarum Sacrarum in

festo Purificationis B. M. V.: O.R. 3 febr. 1961; Periodica 50 (1961) 330.

133. - **8 febr.** (C.): *Audientia* Generalis: O.R. 10 febr. 1961; Periodica 50 (1961) 330.

134. - **13 febr.** (S.): Ex *Allocutione* Summi Pontificis ad Urbis curiones sacrosque temporis quadragesimalis concionatores: de sacrae orationis fontibus deque apta christifidelibus et accurata dicendi ratione: A.A.S. 53 (1961) 155-157; Periodica 50 (1961) 351.

135. - **14 febr.** (C.): *Praesidentia* Summi Pontificis in sessione Commissionis theologicae: O.R. 15 febr. 1961; Periodica 50 (1961) 331.

136. - **19 febr.** (C.S.): *Visitatio* Summi Pontificis ad ecclesiam paroecialem S. Ioannis Baptistae de' Rossi: O.R. 22 febr. 1961 Periodica 50 (1961) 331.

137. - **23 febr.** (C.): *Praesidentia* Summi Pontificis in sessione Commissionis de Ecclesiis orientalibus: O.R. 24 febr. 1961; Periodica 50 (1961) 332.

138. - **27 febr.** (C.): *Praesidentia* Summi Pontificis in sessione Commissionis de disciplina Sacramentorum: O.R. 27-28 febr. 1961; Periodica 50 (1961) 333.

139. - **4 mart.** (C.S.): *Praesidentia* Summi Pontificis in sessione Commissionis de Studiis et Seminariis: O.R. 5 mart. 1961; Periodica 50 (1961) 334.

140. - **15 mart.** (C.): *Audientia* Generalis: O.R. 16 mart. 1961; Periodica 50 (1961) 335.

141. - **19 mart.** (C.): Ex *Epistula Apostolica* « Le voci » Summi Pontificis ad locorum Ordinarios et christifideles catholici orbis: de pietate erga S. Ioseph, universalis Ecclesiae Patronum, cuius praesidium ob cogendum Concilium Vaticanum II imploratur: A.A.S. 53 (1961) 205, 210-213; Periodica 50 (1961) 335.

142. - **6 apr.** (C.): Ex *Allocutione* Summi Pontificis ad alumnos seminariorum Italiae: O.R. 7 apr. 1961; Periodica 50 (1961) 338.

143. - **11 apr.** (C.): *Epistula Apostolica* « Celebrandi Concilii Oecumenici » Summi Pontificis ad Venerabiles Fratres Patriarchas, Primates, Archiepiscopos, Episcopos aliosque locorum Ordinarios pacem et communionem cum Apostolica Sede habentes: De supplicatione habenda proximo festo Pentecostes pro Concilio Oecumenico Vaticano II: A.A.S. 53 (1961) 241-242; Periodica 50 (1961) 339.

144. - **12 apr.** (C.): *Praesidentia* Summi Pontificis in sessione Commissionis de Religiosis: O.R. 13 apr. 1961; Periodica 50 (1961) 340.

145. - **16 april.** (C.): Ex *Allocutione* Summi Pontificis in Aede Sixtina habita, postquam Exc.mum P. D. Gabrielem Acacium Coussa, Sacrae Congregationis pro Ecclesia Orientali Adsessorem, Episcopum graeco ritu consecravit: A.A.S. 53 (1961) 267-268; Periodica 50 (1961) 341.

146. - **17 apr.** (C.): *Praesidentia* Summi Pontificis in sessione Commissionis de Sacra Liturgia: OR. 17-18 apr. 1961; Periodica 50 (1961) 342.

147. - **18 apr.** (C.S.): *Consultatio* Exc.mi P. D. Pericles Felici, Archiepiscopi tit. Samosatensis, Secretarii Generalis Commissionis Centralis: O.R. 20 apr. 1961; Periodica 50 (1961) 343.

148. - **21 apr.** (S.): Ex *Allocutione* Summi Pontificis ad primum conventum nationalem italicum de vocationibus ecclesiasticis: O.R. 22 apr. 1961; Periodica 50 (1961) 354.

149. - **21 apr.** (C.): *Praesidentia* Summi Pontificis in sessione Commissionis de Missionibus: O.R. 22 apr. 1961; Periodica 50 (1961) 345.

150. - **25 apr.** (C.): *Praesidentia* Summi Pontificis in sessione Commissionis de Episcopis et de dioeceseon regimine: O.R. 27 apr. 1961; Periodica 50 (1961) 347.

151. - **28 apr.** (C.): *Audientia* Generalis: O.R. 28 apr. 1961; Periodica 50 (1961) 348.

152. - **30 apr.** (C.): Ex *Allocutione* Summi Pontificis ad peregrinationem Bergomatium: O.R. 2-3 mai. 1961; Periodica 50 (1961) 349.

153. - **20 mai.** (C.): *Praesidentia* Summi Pontifiicis in sessione Commissionis de disciplina cleri et populi christiani: O.R. 21 mai 1961; Periodica 50 (1961) 350.

III. - CLASSIFICATIO ACTORUM

A. - Auctores et Qualificationes Actorum

B. - Fontes Actorum

C. - Argumenta Actorum

IV. - TEXTUS ACTORUM SECUNDUM ARGUMENTA ORDINATI

A. - Concilium

1960

118. - **14 nov.**: *Allocutio* Summi Pontificis habita in Petriana Basilica ad consilia coetusque Concilio Vaticano II apparando: A.A.S. 52 (1960) 1004-1014 (latine); italice, vide O.R. 14-15 nov. 1960 et Periodica 50 (1961) 95.

In sollemnis gravissimique huius consessus initium, veluti in limine habiti multorum et pacificorum laborum, qui ad Oecumenicum Concilium Vaticanum II proxime parandum suscipiendi sunt, usitata ea verba optime conveniunt, quibus Episcoporum precandi continetur formula: *Sit nomen Domini benedictum. Adiutorum nostrum in nomine Domini.*

Quid enim suavius est, quid ad animum permovendum aptius, quam Dei nomen laudibus afferre, adiutorium implorare?

Iucundum igitur est Nobis laetissimo hoc auspicio quasi vobiscum serere collocutionem, unde quod nostrum unusquisque mente et animo volvat, lumen et vim haurire sentiamus. Deinde hominum conatus, Deo illustrante et movente capti, pro ratione fere proficient, qua nos ad supernae gratiae opem et animi consilia, et certa proposita, et piam contentionem adhibebimus.

Qua in re, ut communi fere consuetudine dicimus, quae dubitatio et sacra quasi perturbatio primo agendarum rerum initio in animo oriuntur, cum sint modestae mentis testimonia, protenus in confirmatiorem fiduciam vertuntur, maxime si, caeli sensim serenatis regionibus, ostendatur Deum adesse, ad lumen ferendum et ad voluntatem confirmandam, *ut corde magno et animo volenti* gradum longius inferamus.

Nostrum hoc Concilium appellationem neque a Hierosolyma trahit neque a Nicaea; sed, ut par omnino est, Noster ipsorum animus, qui hodie sive Sancti Petri sive Silvestri Summi Pontificis locum occupamus, in tantum hoc coeptum exardescens, sua veluti sponte se totum in exquirendo collocavit, quem, teste historia, cursum effectumque habuerint viginti consessus vel paris vel maioris momenti, per duo haec annorum milia consecuti; in singularibus gravibusque reputandis rerum ac temporum condicionibus, in qui-

bus memoratu digni conventus illi intervenerunt; in difficultatibus et asperitatibus expendendis praeteritorum temporum, quae sane impeditiora quam haec, in quae nos incidimus, quandoque fuerunt. Quae cum ita sint, ut in eiusmodi rerum gestarum studio versentur, tantopere ad provinciam hanc nostram pertinente, eos cumprimis hortamur, qui ex perhonorifico gravissimoque sibi delato munere, praesto adsunt ad alterum hoc Concilium Vaticanum apparandum. Qua de re in promptu quidem sunt praecipuae hae et ponderosae Conciliorum collectae historiae, quae sequuntur: est primum *Romana,* iussu Pauli V Pont. Max. in vulgus emissa; est deinde *Regia,* Parisiis typis edita; est postremo *amplissima Collectio,* cuius Ioannes Dominicus Mansius, clarissimus Lucensium Archiepiscopus, ad triginta volumina condidit, quamque postea Aloisius Petitius et Ioannes Baptista Martinius ad sexaginta volumina auxerunt; ut taciti alia maximi momenti opera praetermittamus, multorum scripta populorum linguis.

O quae doctrinae et historiae in his voluminibus insunt monumenta! Quantum huiusmodi susceptiones habuerunt in agendo difficultatis, quas tamen exitus semper consecutus est optatus.

Extollamus igitur benignissimum Deum, venerabiles Fratres et dilecti filii, quod, statim atque Oecumenicum Concilium praenuntiatum est, tales declarati sunt ubique terrarum animorum sensus, quos si magnopere commentati simus, iis quasi ob oculos poni laetemur mirabile illud perfectumque divinae redemptionis opus, catholicam dicimus Ecclesiam, quam Christus *acquisivit sanguine suo* [1], immutabili perpetuaque iuventute florentem.

Sed antequam gravissimum Concilii apparandi aggrediamur opus et hoc hominum communitati summatim proponamus, illud animadvertendum putamus, Concilia Oecumenica superiorum temporum ea praesertim de causa indicta esse, ut pariter catholicae fidei consuleretur integritati, pariter *legi credendi* obtemperaretur, prouti vel haereticae pravitatis lues vel malorum errorum contagiones in veterem Ecclesiam sive Orientis sive Occidentis serpere conarentur.

In Nicaeensi Concilio Arii error depulsus est, quo Dei Verbum, propterea humanis coopertum membris ut interclusum in caelum aditum nobis patefaceret, Deum esse negabatur. In Concilio Ephesino, evictis haereticorum erroribus, edictum est tum duas, quae in Christo sunt, naturas, divinam videlicet et humanam, in unam eamque divinam coire personam; cum Mariam Sanctissimam, quod Christum Iesum genuisset, Dei matrem, id est *Theotocon,*

[1] Cfr. *Act.* XX, 28.

et esse et appellari posse. Item in Chalcedonensi Concilio disceptatum est de duabus Christi naturis invicem distinguendis. Cum autem saeculo XVI in ipsam catholicae Ecclesiae constitutionem funditus invadi videretur, in Concilio Tridentino non modo eadem tota super sua fundamenta restituta est, sed clarissimo etiam est illustrata lumine, quod ad fidem, quod ad Sacramenta, quod ad vitae disciplinam attinebat. Concilium denique Vaticanum I, quo brevi tempore celebratum est, eo praesertim spectavit, ut iterum in Sanctae Ecclesiae constitutionem diligentius accuratiusque inquireretur, peculiarique modo ediceretur Romanum Pontificem, ex cathedra loquentem, in rebus fidei et morum falli non posse.

Sive ad haec quinque Concilia sive ad reliqua quindecim celebranda, cum alia rerum adiuncta, tum hae praecipuae causae deduxerunt, quod non solum integra servanda erat ratio, qua fidei capita Ecclesia traderet, verum etiam quod modo hic modo illic multorum animi, de eventibus civilibus aut religiosis suspensi, confirmandi erant. Qui eventus, cum ad ecclesiastici magisterii munera ut plurimum congruerent, idcirco ad humanae etiam societatis rectum ordinem, ad aequabilem iurium compensationem, ad pacem componendam pertinebant.

Hisce autem temporibus, cum hominum ingenia et studia de pristinis videntur valde commutata, quippe qui hinc haereant ancipites inter illecebras et pericula, e quaesitis fere unice perituris mundi opibus enata, illinc vel omnino ex memoria deposuerint, vel parvipendant ea religiosi supernique ordinis principia, quae christianae humanitatis cultus pariter instaurati et vulgati per superiora saecula fuerunt indicia; nostra hac aetate, inquimus, verius quam de hoc vel illo catholicae doctrinae disciplinaeve capite, a Deo nobis aut a Christo manifestato et ab Apostolis ad nos transmisso, investigando et definiendo agitur, contendendum est potius, ut ad christianam hominum cogitandi vivendique rationem, cuius catholica Ecclesia iure suo est custos eademque magistra, nova vis et claritas accedat.

Iure igitur meritoque lugemus humanae mentis errores, bonorum illecebris et tendiculis captae, quae terrestris haec vita peperit semper, quaeque nostris diebus inventae doctrinae suppeditant maxime. Nihilo magis cautione opus est, ne nostrae aetatis mala eatenus amplificemus, ut omnino opinemur ab alto caelo Deum iam nos non aspicere, ac re ipsa *tenebras factas esse super universam terram;* atque idcirco nihil reliquum esse nobis quam molestissimum vitae cursum, quem tenemus, lacrimis perfundere.

Immo potius magno animo simus oportet; nam neque Chri-

stus, Dei Filius nostrumque omnium Servator, ex hoc mundo, quem redemit, omnino profectus est; neque ab eo constituta Ecclesia, una, sancta, catholica et apostolica, desinit esse *eius mysticum corpus,* cuius ille est caput, quocum quivis fidelis veluti membrum coniungitur. Huic doctrinae principio credat necesse est quisquis baptismatis fonte est auctoratus: ad Christi Ecclesiam pertinere non esse insigne quoddam, quo quis uti individuus homo distinguatur, sed quo verius homo uti pars societatis constituatur. Hoc item significamus, cum vel hominem *catholicum* vel terrarum orbem *catholicum* vel Ecclesiam *catholicam* dicimus: dicimus nempe nos in Christo Iesu, inque Christi Ecclesia esse eiusdem divinae consortes naturae, esse dicimus filios et fratres: *quos* (Pater) *praescivit et praedestinavit conformes fieri imaginis Filii sui, ut sit ipse primogenitus in multis fratribus* [2].

Ad catholicam ergo huiusmodi familiam nostrum unusquisque pertinet: pertinet fidelis, sacerdos pertinet, et, iusta officiorum habita ratione, pertinet Episcopus: idque profecto compagem illam contingit, qua Filius Dei Fundator Ecclesiae corpus a se conditum coagmentavit, tum generis humani universitatem intuitus, tum futurum, quod fine caret, aevum.

Quibus nuntiatis rebus, nemo sane non intellegit, Venerabiles Fratres et dilecti filii, Nos iisdem unitatem significare, caritatem, praeclarissimas virtutes, atque *charismata meliora,* quorum Sanctus Paulus in data ad Corinthios epistula init numerum, ut non modo iis animum addat, sed etiam ad virtutem eos excitet [3].

O quantopere hominum mentes permovent et ad excelsa quaeque erigunt haec Apostoli gentium verba, quae precationem illam Christi Iesu veluti referunt, pridie quam pateretur implorantis, ut *unum* essent omnes, quorumque solus a longinqua illa aetate ad hanc nostram quodammodo ingeminari videtur, et ab ipsis christianorum sectis percipi, quae, licet a catholicae Ecclesiae unitate seiunctae, reditum tamen cupere videntur ad *fundamentum Apostolorum et prophetarum, ipso summa angulari lapide Christo Iesu: in quo omnis aedificatio constructa crescit in templum sanctum Domino* [4].

Quae, licet leviter, in hac Nostra quasi collocutione tangere hactenus placuit, Nos, dilecti filii, ad normas rationesque quasdam indicandas inferunt, quibus labores hodie coepti regentur: labores nempe, quos vel Princeps hoc Consilium insumet, cui Nosmet

---

[2] Cfr. *Rom.* 8, 29.
[3] Cfr. *I Cor.* 12 et 13.
[4] *Eph.* 2, 19.

ipsi praesidemus, vel cetera subibunt Consilia aut Coetus, utpote quae onus gravissimae huius susceptionis maxima ex parte habitura sint, cui vos, qui adestis, undique terrarum vocati, laetis coniunctissimisque animis navabitis operam.

Postquam, die Pentecostes huius anni, decretum *Superno Dei nutu, motu proprio* dedimus, non parum laetati sumus, dilecti filii, tenui veluti rimula perspicientes in aliis hominibus, iisque multis, alacre novumque rerum religiosarum continuo studium excitari, in aliis non paucis honestissima animi consilia validasque vires protenus ostendi, quibus uti possemus ad propositum a Nobis Concilium feliciter efficiendum. Paucis exactis mensibus, Nobis inducentibus, en vos, in hac maximi christianae reipublicae templi maiestate, Nobis coram adestis, nobilissimoque agmine composito, Nobis hanc conicere vocem videmini: *Adsumus, ecce tibi.*

Vester ergo adventus plane prorsus Nos delectat, qui innata fere animi vi omnia vobis bona a Deo precamur.

Quibus non dubitamus de permagna hac re nuntios quosdam acceptissimos fore. Atque prae primis in ipso laborum limine, Concilii parandi gratia susceptorum, acta omne genus undelibet collecta esse ad investigandum, ad indagandum aptissima, quibus tum Episcopi, tum sacra Romanae Curiae Consilia, tum Studiorum Universitates, propriis exquisitisque causis allatis, quid sentirent declaraverunt de variis quaestionibus brevi tempore dissolvendis. Quorum actorum iam volumina quinque, typis edita esse, totidem vero post Nativitatem Christi celebratam in lucem editum iri.

E divini huiusmodi actorum tamquam thesauro argumenta sunt delecta, quae tale pondus habere visa sunt, de quibus peculiari modo disquireretur. Haec videlicet acta mox vobis, dilecti filii, pro vestra cuiusque doctrinarum peritia, ad excutiendum tradentur; quibus tamen integrum sane erit de aliis etiam disciplinarum capitibus exponere et agitare, quae vobis vel necessaria vel opportuna ad rem videbuntur.

Quemadmodum ipsi Nos comperire potuimus, Consilia et Coetus apparando Concilio constituta, auctoribus consideratissimis Praesidibus, praesto iam sunt ad munus obeundum suum, et ad Episcoporum excutienda consilia, qui, ut constat omnibus, Patres erunt maximi illius consessus.

O quanta praestant dignitate, dilecti Fratres et filii, labores quos suscepturi estis. Quorum cum cogitationem permota mente capimus, facere profecto non possumus quin simul laetitia perfundamur, simul agamus gratias Deo quantum possumus maximas; quippe cum iam nunc animo praecipiamus praeclaram eam lucem et pulchritudinem, quam Ecclesia sancta, Concilio acto, induet, summa cum christianae rei profectu et incremento.

Rei ipsius naturae consentaneum est, ut qui in Congressione hac gravissima instruenda operam collocent, non modo tempus, quod congruum erit sumant, et onus sustineant cum istiusmodi labore coniunctum, sed ea etiam inter se caritate prosequantur, quam *charismata meliora ornant*, a S. Paulo in capite XIII primae Epistulae ad Corinthios praedicata. Ceterum qui tantae molis coepto perficiendo industriam navant, sive quod ad latas rogationes, sive quod ad evolvendas disputationes, sive quod ad conclusiones conficiendas attinet, multa sine dubio discent ab id genus consessibus recentiore aetate habitis, ac praesertim a Conciliis Tridentino et Vaticano I.

Haud dubium praeterea est quin oporteat eosdem viros non minus in quaestionibus aestimandis quam in conventibus habendis et *amorem silentii*, et modum in disputando, et parem inter se mutuamque observantiam servare; maximum enim illud esse videtur, ut iidem cum in parando Concilio tum in celebrando omnia magna cum circumspectione agant, et ea dumtavat agant quae suarum, non vero alienarum sint partium. Ceteroqui, qui de habendo Concilio rumores orti essent, eos ad considerationem et ad reverentiam animos fratrum commovisse, qui a Nobis sunt disiuncti, quique extra saepta Ecclesiae catholicae sunt, id vehementer animum relevat Nostrum, ad laetamque erigit spem fore ut universi, qui Christi nomen profiteantur, in eam unitatem coire aliquando possint, quam inflammato corde Iesus ipse a Patre suo flagitavit: *Ut unum sint; ut sanctifices eos in veritate* [5].

Attamen, ut etiam atque etiam nuntiatum est, Concilium, veluti *civitas in monte* posita, provinciam habet re ipsa suam; quippe quod unice et in primis ad Ecclesiam catholicam, matrem nostram, et ad eius, quae hodie est, internam constitutionem pertinere debeat.

Delecta quidem gravitate haec putanda sunt verba capitis primi grandis illius atque praeclari libri, cui a *Sapientia* index: *Spiritus Domini replevit orbem terrarum, et hoc quod continet omnia scientiam habet vocis* [6]. Nihilominus qui, etsi catholicam fidem integre non sunt amplexi, sincero tamen fidentique animo certiores fieri cupiunt quid in apparatione Concilii agatur, eos rogamus ne graventur, si usque eo sibi exspectandum erit, donec Consiliorum Patres et Consultores munere sua functi erunt, ipsique erunt intellegentia, animo, supernarum rerum sensu ita comparati, ut *Spiritum Domini* accipiant, atque exinde Christi Iesu

---

[5] Cfr. *Ioan.* XVII, 19, 21.
[6] *Sap.* I, 7.

honor et amor amplificetur, Ecclesiae sanctae et nobilissimae auctoris.

Verum probe nostis, dilecti filii, ad decem Consilia, parando Concilio condita, iussu Nostro Coetum etiam accessisse, cuius erit, omni adhibita circumspectione, ad interrogata eorum fratrum Nostrorum debito honore dignorum respondere, qui, quamvis sint a Nobis, uti loqui solemus, seiuncti, veritatis tamen cupidi sapientiaeque studiosi, de Concilii laboribus resciscere aliquid velint.

Venerabiles Fratres et dilecti filii!

Familiari huic colloquio Nostro alia adicere placet, quibus animi et ad spem firmam audacter erigantur et ad aemula excitentur studia earum virtutum, quae christianos omnes et sacerdotes peculiari modo addecent; ita quidem ut nostrae vitae exempla coram omnibus fulgeant, in christifidelium salutem et universi terrarum orbis laetitiam et pacem.

Celebrandum in Ecclesia catholica Oecumenicum Concilium id postulat, ut diligenti studio expendantur iura et officia, quibus non solum singulos homines et domesticos convictus, verum etiam omnes Nationes inter se contineri oporteat, ut principia emineant, quibus recte constituta hominum societas innititur.

A Moysis enim Decalogo usque ad quattuor Evangelia, omnia vim suam et robur hauriunt a Christo ab eiusque Ecclesia, in qua Redemptor noster amantissimus omnium animos ad se convertens praeclara illa verba iterare non cessat: *Ego sum lux mundi. Ego sum via, veritas et vita* [7]. Quae quidem dicta, simul cum eorum subiecta sententia, divinitus sanciuntur et confirmantur hisce S. Matthaei Evangelii postremis verbis: *Ecce: ego vobiscum sum omnibus diebus usque ad consummationem saeculi* [8].

Dilecti Filii, cum his mensibus complura scripta rursus pervolveremus, quae de Concilio Vaticano I a Decessore Nostro f. r. Pio IX anno MDCCCLXIX et MDCCCLXX coacto, in vulgus copiosissime edita sunt, in libellum incidimus, quem eo tempore, tam vehementer Romanae Sedi infesto, vir quidam celebratissimus et in agendo vehementissimus exaravit. Per ironiam, ineptam sane, Episcopis inscriptus erat Romam ex omnibus terrarum partibus conventuris, iisdemque cum antiquis Orientis Episcopis comparatis, qui primum Concilium Oecumenicum Nicaeae anno CCCXXV celebraverant.

---

[7] *Io.* 8, 12; 14, 6.
[8] *Matth.* 28, 20.

« Hodie novum ac postremum Concilium Romam vos adduxit. Primum, Nicaeense scilicet, venerandum fuit ac religionis, quam tempora requirebant, sollemni veluti ritu triumphum unitatemque sacravit. Postremum, hoc est vestrum, quidquid vobis in animo erit, grande eventum procul dubio testabitur, nempe senescentis religionis occasum, ac simul ortum novae proxime adventurae » [9].

Huiusmodi provocationem ac malorum praesagium ipsis auctoris verbis vobis rettulimus.

Saeculo post, manifesto nobis patet, quam insane haec scripta sint et quae fides sit tribuenda id genus vatibus, qui, ut Baal prophetae — cuius generis omni tempore aliquem superesse constat — *viderunt tibi falsa et stulta* [10]. Eos igitur sinamus perperam loqui, ad vigilantiae et patientiae nostrae exercitationem, ut reportemus promissionem. Nos vero firmiter Christi verba retineamus; verba illa dicimus, quibus S. Matthaei Evangelium concluditur, et quae Iesu Christi Ecclesiae, id est nostrae, usque ad saeculorum exitum certam pollicentur victoriam.

Per ecclesiasticorum virorum congressionem qui hodie in hanc Petrianam Basilicam undique convenerunt, nondum quidem novum inauguratur Concilium; sed incohatur ingens illud praeparationis opus, quo vires nostrae ad prosperum eius exitum et eventum apto ordine disponuntur, itemque opportuna capiuntur consilia, studia investigationesque suscipiuntur, quaestiones proponuntur, e quibus tutae credendi vivendique normae orientur.

Nonne vobis videtur vox e longinquo aures animosque nostros pertingere: *Surge, illuminare, Ierusalem, quia venit lumen tuum, et gloria Domini super te orta est?* [11] Quibus antiqui Isaiae verbis quodammodo musici aptantur modi primo nostro triumphali cantico, coalescente ex mirando illo ovantium vocum concentu, qui *ex omnibus linguis et tribubus et populis* ad caelum extollitur.

Re quidem vera — id rursus fateri iuvat — grandium rerum spem positam habemus in hoc Concilio, cuius erit christianam fidem, doctrinam, ecclesiasticam disciplinam, religiosam christifidelium vitam novis augere viribus, itemque plurimum conferre ad illa christiani ordinis principia in luce clarius ponenda confirmandaque, quibus penitus reguntur vel ipsa civilis, oeconomicae, politicae et socialis rei germana incrementa. Eo usque Evangelii lex vim suam proferat necesse est, atque omnia complectatur atque

---

[9] *Scritti editi ed inediti di G. M.*, vol. LXXXVI (*Politica*, vol. XXVIII), Imola, Cooperativa Tip. Ed. P. Galeati 1940, p. 241.

[10] *Thren.* 2, 14.

[11] *Is.* 60, 1.

imbuat, iis rebus non exceptis, quae *de rore caeli et de pinguedine terrae*[12] nobis oriuntur. Eo usque, dicimus; quod profecto postulat, ut conscientia certa, erecta mente, sincera alacritate ii sociam operam conferant omnes, e quibus constat socialis ordo. scilicet sacerdotes, laici, viri potestate praediti, exculti homines, opifices. Huiusmodi autem socialis ordo eo prorsus spectare debet, ut coelum terramque perfectiore usque necessitudinum nexu coniungat, scilicet ut terrenae huius vitae rationes, incertae periculorumque plenae, cum rationibus futurae vitae apte componat, quae sempiterna erit, eoque beatior, quo magis supernae gratiae muneribus Deique misericordiae — quod hominum et christianorum proprium est — respondebimus.

Venerabiles Fratres et dilecti filii!

Dum sereno tranquilloque gaudio perfusi fauste feliciter apparandi Concilii opus aggredimur, quod quidem non solum uniuscuiusque vestrum peritiae, sed etiam bonis sapientibusque consiliis concreditum est, liceat Nobis haec bene ominantia verba vobis adhibere: *Sursum corda!* Hoc salutare omen singulis universis dicimus, sive corpore sive animo hic praesentibus: S. R. E. Cardinalibus imprimis, tam prope ac tam utiliter adiutricem operam navantibus humili Summo Pontifici, Ecclesiae Romanae Episcopo eidemque universae Ecclesiae Pastori; Patriarchis deinde, Archiepiscopis, Episcopis totius orbis terrarum, ubicumque varietate rituum distincta in variis regionibus christiana religio viget; Abbatibus denique, sacerdotibus quavis dignitate praeditis ex utroque clero, ceterisque e sacro ordine viris qui *in partem sollicitudinis* vocati et *corpus universalis Ecclesiae* pertinentes, invitatione Nostra arcessiti sunt, ut precibus, consilio navitateque sua summi momenti huic incepto apparando allaborent, ad quod providentissimus Deus Nosmet ipsos vocavit, vel saltem virium copiam tribuit ut ad illud in rem deducendum operam conferamus.

Statim atque Concilii Oecumenici Vaticani II nuntius auditus est, per universum catholicum orbem insueto quodam supernaturalis vitae afflatu christifidelium animi fremuerunt. Hinc ab hominibus sincera fide praestantibus ingens ac spei plena precationum contentio facta est, aures animosque suaviter permulcens, ex orantium vocibus constans, quae ab insontibus pueris, a viris virginibusque Deo devotis, a Christianis doloribus affectis ubivis terrarum funduntur.

---

12 *Gen.* 27, 28.

In ipsis Ecclesiae exordiis accidit ut primus Summus Pontifex, S. Petrus, hostili insectatione peteretur ac, libertate perdita, in vincula coniceretur. Nec sine commoto animo in *Actis Apostolorum* scriptum legimus quo studio ab Ecclesia universa orare *sine intermissione* pro eo coeptum sit. Per viginti saeculorum decursum iugis illa pro Ecclesiae Catholicae Capite deprecatio numquam intermissa est. Ac facile intellegere potestis quo solacio, quam firma fiducia, qua tranquillitate Romani Pontificis animus afficiatur, cum a suis Venerabilibus Fratribus a suisque dilectis filiis ubique commorantibus hoc precationum auxilio se fulciri sentiat. Quo fit ut assidua animi coniunctione cum tota sancta Ecclesia communicemus, cumque eius precibus et doloribus preces et dolores Nostri consocientur.

Benignissimo Domini Nostri consilio etiam provisum est, ut Romanus Episcopus, quem Vicarium Christi in terris christifideles tot iam saecula consalutant, tali libertate hodie fruatur, ut haud secus ac primus Summus Pontifex S. Petrus, postquam ex Herodis carcere emissus est, sacrum suum munus obire queat.

Insidit tamen in Christi Vicarii animo maeroris causa, eaque magna et assidua: sors scilicet nimis multorum Venerabilium Fratrum, sacerdotum et laicorum hominum vitae sanctitate praestantium, qui in variis terrarum orbis regionibus humanae religiosaeque libertatis iura lugent miserabiliter eversa. Ex eorum numero non pauci etiam corporis animique libertate privantur, atque interdum malorum vexationumque vis tanta est, ut cum primaevae Ecclesiae heroum ac martyrum comparari posse videantur.

Probe novimus, quid vivere una cum Christo exigat atque ad eius Evangelii praecepta mores perfecte conformare. Neque ignoramus quot quantaque scelera admittere audeant Christi hostes christianique cultus inimici. Id sane efficit, ut Nos vehementius tangant Nostrorum Fratrum aerumnae, qui in hac indigna rerum condicione tam acerbe adhuc versentur, utque impensiore nisu pro ipsis ac pro omnibus veritatis, iustitiae, libertatis et pacis exoptatam victoriam deproperare contendamus.

Alacre studium, quo labores coeptaque ineuntur ad Concilii Oecumenici celebrationem proxime apparandam — consociatam summique momenti operam ferentibus iis omnibus, qui in decem Concilii huius *Consilia* et *Coetus* allecti, iam iam sunt gravissimum sibi demandatum munus obituri — ante oculos habeant insectationes doloresque, quibus in praesens Ecclesia obnoxia est, omnesque impellant ut eidem libenter suppetias veniant precibus, laboribus promeritisque suis; quae quidem procul dubio et sanctissimi operis, quod providentis Dei consilio Nobis creditum est,

fortunabunt exitum, et pignus praemiorum erunt, quibus in hac et in aeterna vita fruemur, per Iesum Christum, gloriosum immortalemque saeculorum et populorum Regem. Amen.

1961

126. - **2 ian.**: Ex *Nuntio scripto dato* a Summo Pontifice ad Catholicos Helvetiae propter annum missionarium: KIPA 8 ian. 1961.

Il est nécessaire que tous les catholiques de notre temps apprennent à connaître quelle est la situation actuelle dans les pays de mission. Les sermons, les conférences et manifestations diverses, la presse, la radio et le télévision doivent apporter leur contribution dans ce but. De même, les membres des diverses organisations religieuses seront appelés à coopérer; on les renseignera sur les progrès de l'Eglise, ses difficultés et ses souffrances, afin que, dans l'esprit de la communion des saints, ils prennent fraternellement part à ses peines et à ses joies. La connaissance des dimensions universelles des problèmes qui se posent à l'Eglise est, à notre avis, également le moyen le plus et le mieux approprié pour préparer les fidèles au prochain concile oecuménique.

127. - **5 ian.**: *Visitatio* Summi Pontificis ad Commissionem Centralem Praeparatoriam Concilii Oecumenici Vaticani II: O.R. 6 ian. 1961.

Questa mattina giovedì 5 gennaio il Sommo Pontefice Giovanni XXIII ha proseguito la visita dei Sacri Dicasteri, iniziata il giorno precedente.

Si è recato, perciò, in forma privata, alla sede delle Sacre Congregazioni: Concistoriale, dei Sacramenti, dei Riti; e, infine, alla Segreteria Generale della Commissione Centrale Preparatoria del Concilio Ecumenico Vaticano II.

Nelle singole visite Sua Santità si è affabilmente intrattenuto con gli E.mi Porporati, gli Ecc.mi Presuli, i Prelati, gli Officiali, Addetti e Dipendenti.

128. - **7 ian.**: *Visitatio* Summi Pontificis ad Secretariatum ad unitatem christianorum assequendam: O.R. 7-8 ian. 1961.

E' continuata, stamane sabato, la visita che il Santo Padre sta compiendo alle sedi dei Sacri Dicasteri della Curia Romana.

L'Augusto Pontefice si è recato oggi al palazzo della Sacra Congregazione Orientale, accolto, come già nelle precedenti visite, dall'E.mo Cardinale Segretario, dall'Assessore, dai Prelati ed Officiali tutti. Inoltre, in una aula della stessa Sacra Congregazione per la Chiesa Orientale Sua Santità ha ammesso alla Sua presenza i componenti il Segretariato per l'Unione dei Cristiani, — uno degli organismi preparatori del Concilio Ecumenico Vaticano II — guidati dall'E.mo Cardinale Presidente.

129. - **7 ian.**: *Audientia* Generalis: O.R. 9-10 ian. 1961.

Quei diletti figli avevano sicuramente sentito parlare del Concilio Ecumenico. Anche per questa grande impresa si sta lavorando alacremente. E' chiaro che il Signore lo vuole: perciò ne ha ispirato la iniziativa. Ciò può desumersi anche dagli unanimi consensi con cui l'idea del Concilio è stata salutata, e tra questi consensi vi sono pure non pochi da parte di quei nostri fratelli che, essendo separati dal centro della fede, che è la Chiesa Cattolica, anelano di ritrovare la via che riconduce tutti alla unità voluta dal Salvatore.

I Vescovi della Gerarchia Cattolica, che parteciperanno al Concilio, verranno in Roma a porre in comune le loro esperienze personali. Del resto essi hanno già fatto conoscere i loro pensieri, che apposite Commissioni stanno coordinando. A differenza degli incontri per le questioni del mondo, ove non sempre si raggiunge l'accordo, nel Concilio l'accordo ci sarà perchè c'è la luce viva, e la benedizione del Signore. Tuttavia la preghiera è sempre necessaria affinché Iddio — che vuole sempre la nostra cooperazione — moltiplichi nella più larga misura gli ottimi risultati a vantaggio di tutte le anime.

130. - **16 ian.**: Ex *Allocutione* Summi Pontificis in Consistorio Secreto: A.A.S. 53 (1961) 69.

Ecclesia namque pro nativo munere suo nihil molitur aliud, quam veras filiorum suorum utilitates, quarum participes sive singulos homines sive populos esse cupit. In quo coeptorum genere principem profecto tenet locum Concilium Oecumenicum: in quod apparandum, Deo propitio et opem ferente, insignem conferunt operam non tantum egregii viri ex hac alma Urbe, catholici nominis capite, delecti, sed ex universo fere terrarum orbe; ea nempe mentium ac voluntatum consensione, ex qua exitum gravissimae huius rei in omni parte felicem sibi spondere liceat.

Et merito quidem ac iure ex hoc eventu Christi Ecclesia uberes exspectat fructus: ut nempe veritatis causae inserviat, ut christianae caritatis documentum exhibeat, utque fraternae illius pacis exemplo sit, quae ex hac catholicae unitatis arce, Apostolorum Principis memoriae sacra, tamquam e cathedra celsissima, cunctis gentibus sollemniter praedicatur.

Cuius eventus momentum id etiam a Nobis postulat, ut attentas praebere aures studeamus iis vocibus, hucusque raro admodum dissonis, quae hoc super negotio ex variis terrarum orbis partibus ad Nos perferuntur. Quae porro voces, in sententiarum varietate, communem tamen et obsequii plenam declarant rei ipsius exspectationem. Quamobrem cum psalmorum auctore canere iure optimo possumus: *Auditui meo dabis gaudium et laetitiam* [1].

131. - **18 ian.**: Ex *Allocutione* Summi Pontificis occasione impositionis bireti cardinalitii*: O.R. 20 ian. 1961.

Voi, diletti figli, i quattro eletti di questa creazione, volgete i nostri pensieri al carro infocato di Elia ed alla ruota quadriforme di Ezechiele, che più volte riappare qua e là nel libro dei profeti su fino all'Apocalisse (*IV Reg.* 2, 11 ss.; *Ez.* 1, 15 ss.; cfr. *Ez.* 10, 2; *Eccl.* 48, 9; *Dan.* 7, 9; *Apoc.* 4, 1-8).

Che vivacità nella descrizione di Ezechiele. E' in sintesi la storia della Chiesa: «... Apparuit rota una super terram, iuxta animalia, habens quattuor facies. Et adspectus rotarum et opus earum quasi visio maris ... Statura quoque erat rotis et altitudo et horribilis adspectus, et totum corpus oculis plenum in circuitu ipsarum quattuor ... Quocumque ibat spiritus, illuc, eunte spiritu, et rotae pariter elevabantur sequentes eum; spiritus enim vitae erat in rotis» (*Ez.* 1, 15-16; 18, 20).

E' una visione possente. questo carro profetico, *quasi visio maris*: fuoco, vento, occhi scintillanti, movimento turbinio di ruote aggirantesi in vario senso, enormi ma pur docili nel seguire il cammino. Applicato ai compiti dei Signori Cardinali, antichi e nuovi, nel suo simbolismo, tutto ciò induce a volgere il loro intelletto e la loro volontà a procurare la gloria di Dio, ad instaurare il regno dei Cieli, si, anche sulla terra, santificata così nell'intimo delle coscienze, come nella pubblica adorazione dei popoli. Questo lavoro santo e benedetto vuole diffondere la carità attra-

---

[1] *Ps.* 50, 10.

verso l'esempio trascinatore e l'esercizio delle opere di misericordia, superare l'egoismo personale, dimenticare i propri interessi nella ricerca dei supremi interessi di Dio e delle anime.

In questa visione, quale rilievo è riservata a prendere l'opera che ciascuno di voi, Signori Cardinali, è chiamato a svolgere, ora e in avvenire, nella Chiesa Santa, specialmente negli sviluppi di operosità, di buon volere, anche se di qualche fatica, che il Concilio Ecumenico dischiuderà più vividamente!

132. - **2 febr.**: Ex *Allocutione* Summi Pontificis post praesentationem Candelarum Sacrarum in festo Purificationis B. M. V.: O.R. 3 febr. 1961.

La terza intenzione, che affidiamo al simbolismo di questi ceri, è infine quella che tanto Ci sta a cuore, ed a cui consacriamo le Nostre umili forze: *il Concilio Ecumenico Vaticano Secondo.*

La sua finalità, fin da questa fase di preparazione, è, come dicemmo giusto un anno fa, quella di segnare « come il passaggio dell'Angelo del Signore su tutte le anime, a risveglio di energie, a palpito di fraterna dedizione, ad elevazione verso la Chiesa santa, cattolica ed apostolica » (*L'Osservatore Romano* cit.). Irradiazione sempre più vasta è questa del Regno di Dio: rinnovamento generale della vita cristiana; impostazione dei metodi di apostolato adatta alle necessità odierne per la conquista missionaria a Cristo Signore.

Presso le opere scelte dai singoli Arcivescovi e Vescovi - che potranno essere ospedali, o seminari, o nuove parrocchie di periferia, o cappelle interne di opifici - il cero ardente richiamerà quanti vi si raccolgono intorno in preghiera, alla necessità di adeguarsi interiormente alle esigenze di vita individuale e sociale, che il Concilio suggerisce.

133. - **8 febr.**: *Audientia* Generalis: O.R. 10 febr. 1961.

L'apostolato dei laici si è notevolmente esteso e sviluppato nei tempi moderni. Si tratta di volenterosi che affiancano il sacerdote e lo aiutano: costituiscono, ora, un vero e cospicuo stuolo di collaboratori. La loro operosità è in grandissima considerazione; e sarà oggetto di viva sollecitudine e di particolare studio da parte dei Padri del prossimo Concilio Ecumenico Vaticano II. Tutti possono constatare che questo particolare movimento di laici devoti alla Chiesa, in Italia, in Francia e in altre molte Nazioni, ha dato saggi magnifici di energie e risultati ammirevoli.

Stando vicini al sacerdozio, essi si pongono accanto alla parte più ardente che lavora per il trionfo del Signore Gesù nel mondo.

135. - **14 febr.**: *Praesidentia* Summi Pontificis in sessione Commissionis theologicae: O.R. 15 febr. 1961.

Il Sommo Pontefice, che fin dall'annuncio del prossimo Concilio Ecumenico ne è stato l'animatore dando vigoroso impulso ai lavori di preparazione e seguendone personalmente lo sviluppo in atto nelle singole Commissioni, si è recato questa mattina martedì nella Sala delle Congregazioni del Palazzo Apostolico, ove si stava svolgendo una seduta di studio della Commissione Teologica.

Il Santo Padre, che era accompagnato da S. E. Mons. Pericle Felici, Arcivescovo tit. di Samosata, Segretario Generale della Commissione Centrale, è stato accolto, all'ingresso, dal Presidente della Commissione Teologica, Sua Eminenza il Cardinale Alfredo Ottaviani, il quale ha espresso, a nome pure dei membri e dei consultori, un vivo ringraziamento per l'alto onore e l'ambito privilegio accordato alla Commissione dall'augusta partecipazione del Santo Padre. Il Cardinale ha poi ragguagliato il Sommo Pontefice sul tema della discussione, che il Santo Padre ha amabilmente invitato a proseguire.

Al termine della adunanza, Giovanni XXIII, parlando in lingua latina — usata nella discussione —, ha rivolto espressioni di compiacimento per il lavoro svolto ed ha esortato a continuare con lo stesso impegno e fervore per bene assolvere agli alti compiti affidati alla Commissione. Infine ha impartito una speciale Benedizione Apostolica a tutti gli intervenuti.

136. - **19 febr.**: *Visitatio* Summi Pontificis ad ecclesiam paroecialem S. Ioannis Baptistae de'Rossi: O.R. 22 febr. 1961.

Occorre inoltre interessarsi non soltanto alla propria Parrocchia, bensì a tutta la Chiesa. Il Papa è il Vescovo di Roma, ma è anche il Pastore della Chiesa universale. Bisogna pregare affinché il Signore moltiplichi i suoi operai e li invii a tante regioni che ne sono prive e attendono la luce della fede; e aggiungere speciali orazioni allo scopo della felice riuscita del Concilio Ecumenico, il cui svolgimento è sperabile avvenga al più presto. Inoltre per tutti vige l'appello ad unirsi, a volersi bene; e non arrestarsi in sottigliezze o meschinità nei reciproci rapporti, bensì

a coltivare il buon seme del Vangelo, sì da rinvigorire, con gli ammaestramenti del Salvatore, l'attività religiosa dei popoli, e anche rafforzare cristianamente le relazioni sociali...

Infine Sua Santità riassumeva i principali punti della paterna esortazione: ... Unirsi concordi, con volenterosa disciplina, alle attività della Chiesa, che sono sempre più promettenti, ad esempio in Roma, dopo la celebrazione del primo Sinodo Diocesano; moltiplicare, perciò, iniziative di profonda formazione cristiana in tutti i campi.

137. - **23 febr.**: *Praesidentia* Summi Pontificis in sessione Commissionis de Ecclesiis orientalibus: O.R. 24 febr. 1961.

Nella sua costante sollecitudine per la preparazione del Concilio Ecumenico Vaticano II, il Santo Padre ha presieduto questa mattina giovedì, una riunione di studio della Pontificia Commissione delle Chiese Orientali.

Alle ore 11 l'Augusto Pontefice, che era accompagnato da S. E. Mons. Pericle Felici, Segretario Generale della Commissione Centrale, si è recato nella sala delle Congregazioni al terzo piano del Palazzo Apostolico, dove era in corso la seduta, ricevuto da Sua Eminenza il Cardinale Amleto Giovanni Cicognani, Presidente della Commissione e dal Segretario della medesima, Rev.mo P. Atanasio Gregorio Welykyi.

L'Em.mo Presidente ha rivolto a Sua Santità devote espressioni di omaggio e filiale riconoscenza. Quindi è proseguita la discussione sull'argomento in esame.

Al termine il Santo Padre, che aveva seguito con vivo interesse i lavori, rivolgeva la sua parola agli intervenuti, esprimendo il suo alto compiacimento per una preziosa attività che si sta attuando a vantaggio di tutta la Chiesa.

Sua Santità aggiungeva di essere molto ammirato per lo spettacolo di unità offerto da quella nobile assemblea, pur nella molteplicità dei Riti che rappresentava, e si diceva commosso del fatto che gli intervenuti, pur avendo la possibilità di esprimersi in varie lingue, avevano voluto usare, con bella proprietà la lingua latina, molto esatta, nel manifestare il loro pensiero. Questo atto di fraterna delicatezza, oltremodo incoraggiante, non fa che accrescere il rispetto e la stima per i venerandi Riti orientali.

Infine l'Augusto Pontefice recitava con i presenti l'*Angelus*, riconfermando il proposito di mettere sotto la speciale protezione della Vergine SS.ma i lavori del Concilio.

Dopo aver impartito la Benedizione Apostolica, l'Augusto Pontefice si intratteneva amabilmente con quanti avevano partecipato alla adunanza, interessandosi alle attività pastorali dei singoli.

Hanno preso parte all'importante seduta oltre 30 componenti e consultori della Commissione, appartenenti a diverse nazioni.

Con quelli di rito *Latino* sono intervenuti, tra gli altri, Presuli e rappresentanti dei capostipiti Riti liturgici Orientali con i loro derivati: *Alessandrino* (Etiopico); *Antiocheno* (Malankarese, Maronita, Siro Antiocheno); *Costantinopolitano* o *Bizantino* (Bulgaro, Greco, Italiano, Italo-Albanese, Serbo, Melchita, Romeno, Bizantino-russo, Ucraino e Slavo); *Caldeo; Armeno.*

138. - **27 febr.**: *Praesidentia* Summi Pontificis in sessione Commissionis de disciplina Sacramentorum: O.R. 27-28 febr. 1961.

Nell'intento di partecipare attivamente ai lavori preparatori del Concilio Ecumenico Vaticano II, il Santo Padre ha presieduto questa mattina, lunedì, alle ore 10, una seduta della Pontificia Commissione della Disciplina dei Sacramenti, che si è svolta nella Sala delle Congregazioni al terzo piano del Palazzo Apostolico.

L'Augusto Pontefice, che era accompagnato da S. E. Mons. Pericle Felici, Segretario Generale della Commissione Centrale, è stato accolto dal Presidente della suddetta Commissione, E.mo Cardinale Benedetto Aloisi-Masella e dal Segretario della Commissione stessa, P. Raimondo Bidagor, S. J.

Il Cardinale Aloisi-Masella ha rivolto a Sua Santità un breve indirizzo di saluto e di ringraziamento, sottolineando che i punti assegnati allo studio della Commissione che egli presiede, sono di grande importanza per la vita della Chiesa, trattandosi dei Sacramenti, mezzi vitali di grazia e di salute eterna.

Il Santo Padre, dopo avere seguito per circa un'ora la discussione sui temi posti in esame, rivolgeva ai presenti brevi parole di compiacimento per l'impegno con il quale essi assolvono ai compiti loro affidati.

Ricordato che l'Em.mo Presidente gli aveva porto il primo saluto in occasione della presa di possesso della Arcibasilica Lateranense, della quale è degnissimo Arciprete, Sua Santità si diceva molto soddisfatto che i lavori preparatori in genere e quelli della Commissione in specie, fossero così bene avviati, sicuro auspicio questo di abbondanti frutti per ogni fedele, poiché i Sacramenti sono fonte di grazia e toccano l'anima stessa della Chiesa.

La riunione si è conclusa poco dopo le ore 11, con la Benedizione Apostolica impartita da Sua Santità.

Prima di lasciare la sala, l'Augusto Pontefice si intratteneva affabilmente con i singoli partecipanti alla riunione, ai quali rinnovava paterno invito ad assidua preghiera per il buon esito della preparazione di un evento, che sarà immensamente salutare e fruttuoso per il bene delle anime.

139. - **4 mart.**: *Praesidentia* Summi Pontificis in sessione Commissionis de Studiis et Seminariis: O.R. 5 mart. 1961.

Questa mattina sabato, alle ore 10, il Santo Padre Giovanni XXIII ha presieduto, nella Sala delle Congregazioni al terzo piano del Palazzo Apostolico Vaticano, una adunanza di lavoro della Pontificia Commissione degli Studi e dei Seminari, preparatoria del Concilio Ecumenico Vaticano II.

L'Augusto Pontefice, presso il quale era S. E. Mons. Pericle Felici, Arcivescovo titolare di Samosata, Segretario generale della Commissione Centrale, è stato ossequiato, al suo ingresso nella sala di riunione, dal Presidente della predetta Commissione degli Studi, E.mo Cardinale Giuseppe Pizzardo, e dal Segretario Rev.mo P. Agostino Mayer, dei Benedettini.

In risposta ad un devoto indirizzo di omaggio del Porporato, Sua Santità rivolgeva ai presenti un paterno Discorso in lingua latina, nel quale manifestava vivo compiacimento per l'ottimo spirito di collaborazione in tutti i componenti l'importante organismo, e i consultori, tra i quali figurano tanti Ecc.mi Arcivescovi e Vescovi, Rettori di Seminari e di Università.

Dopo questa premessa il Santo Padre, prendendo lo spunto dagli argomenti affidati all'esame della Commissione, si è intrattenuto amabilmente a parlare anche della sua vocazione sacerdotale e delle successive disposizioni della Divina Provvidenza nei suoi riguardi. Inoltre esortava tutti a curare in modo particolare le vocazioni sacerdotali, inestimabile bene per l'intera Chiesa, e per la cui scelta e formazione sono necessarie non comuni doti di intuito, impegno e prudenza.

Sempre a proposito della inestimabile attività di ogni ecclesiastico e della persistente santificazione del clero, il Papa si richiamava alle Esortazioni tenute nella circostanza del primo Sinodo Romano da Lui presieduto nello scorso anno, avendo ampliamente trattato, nelle tre sessioni, gli alti argomenti: *Il Sacerdote, persona sacra, vita santa — Nel Sacerdote la testa, il cuore, là lingua — Sacerdote e Pastore.*

Al termine dell'adunanza Sua Santità aveva per i singoli intervenuti, che gli venivano presentati dal Cardinale Pizzardo, affabili parole di augurio; e rinnovava speciali voti per tutta l'importante attività della Commissione.

140. - **15 mart.**: *Audientia* Generalis: O.R. 16 mart. 1961.

Ferve la preparazione al Concilio Ecumenico Vaticano secondo. Con il Papa, e sotto la sua guida, i Cardinali, i Vescovi sono chiamati a studiare, a proporre, a giudicare quello che è a vantaggio e per il bene della Chiesa e delle anime. Pertanto ecco un altro bellissimo motivo per accrescere il fervore nell'invocare i Protettori per eccellenza: la Madonna e San Giuseppe.

Pio IX, allorché si iniziò il Concilio Vaticano primo, ricevette istanze da gran parte dei Vescovi perché San Giuseppe venisse invocato Patrono speciale del Concilio e della Chiesa universale. Poiché il Concilio dovette esser sospeso, quell'insigne Pontefice, nella circostanza della prima grande solennità liturgica dopo quella interruzione, e cioè nella festa dell'Immacolata del 1870, proclamò Patrono della Chiesa Universale il Santo Patriarca Giuseppe, che fu il padre putativo del Signore Gesù e lo assistette in tutte le necessità e in tutte le circostanze dell'infanzia e dell'adolescenza.

141. - **19 mart.**: Ex *Epistula Apostolica* «Le voci» Summi Pontificis ad locorum Ordinarios et christifideles catholici orbis: de pietate erga S. Ioseph, universalis Ecclesiae Patronum, cuius praesidium ob cogendum Concilium Vaticanum II imploratur: A.A.S. 53 (1961) 205, 210-213.

Venerabili Fratelli e diletti figli! — Le voci che da tutti i punti della terra arrivano sino a Noi, in espressione di lieta attesa e di voti per il felice successo del Concilio Ecumenico Vaticano II, sollecitano ognor più il Nostro spirito a trar profitto dalla buona disposizione di tanti cuori semplici e sinceri, rivolti con amabile spontaneità ad implorazione di aiuto celeste, ad aumento di fervore religioso, a chiarezza di direzione pratica per tutto ciò che la celebrazione conciliare suppone e ci promette di incremento della vita intima e sociale della Chiesa, e di rinnovamento spirituale del mondo intero ...

L'attesa del Concilio Ecumenico

Al centro e al posto preminente di queste sollecitudini sta senza dubbio il Concilio Ecumenico Vaticano, la cui aspettazione è ormai nei cuori di quanti credono in Gesù Redentore, appartengano essi alla Chiesa Cattolica nostra Madre, o ad alcune delle varie confessioni da essa separate, e pur ansiose da parte di molti di un ritorno di unità e di pace, secondo l'insegnamento e la preghiera di Cristo al Padre Celeste. E' ben naturale che questo richiamo alla voce dei Papi dell'ultimo secolo sia tutto inteso a suscitare la cooperazione del mondo cattolico al buon successo del grande disegno di ordine, di elevazione spirituale e di pace a cui un Concilio Ecumenico è chiamato.

Il Concilio a servizio di tutte le anime

Tutto è grande e degno di rilievo nella Chiesa, quale Gesù l'ha costituita. Nella celebrazione di un Concilio convengono attorno ai Padri le personalità più distinte del mondo ecclesiastico e ricche di doni eccelsi di dottrina teologica e giuridica, di capacità organizzativa, di alto spirito apostolico. Questo è il Concilio: il Papa al vertice, intorno a lui e con lui Cardinali, Vescovi di ogni rito e di ogni paese, dottori e maestri competentissimi nelle varie gradazioni e loro specializzazioni.

Ma il Concilio è fatto per tutto il popolo cristiano che vi è interessato per quella circolazione più perfetta di grazia, di vitalità cristiana, che renda più facile e spedito l'acquisto dei beni veramente preziosi della vita presente, e assicuri le ricchezze dei secoli eterni.

Tutti quindi sono interessati al Concilio, ecclesiastici e laici, grandi e piccoli di ogni parte del mondo, di ogni classe, di ogni stirpe, di ogni colore: e se un protettore celeste è indicato ad impetrare dall'alto, nella sua preparazione e nel suo svolgimento, quella *virtus divina,* per cui esso sembra destinato a segnare un'epoca nella storia della Chiesa contemporanea, a nessuno dei *Celesti* meglio può essere affidato che a S. Giuseppe, capo augusto della Famiglia di Nazaret, e protettore della Santa Chiesa.

Riascoltando in eco le voci dei Papi di questo ultimo secolo di storia nostra, come Ci accadde, ancora Ci toccano il cuore gli accenti caratteristici di Pio XI, anche per quel suo modo meditato e calmo di esprimersi. Esse ci vengono all'orecchio giusto da un discorso pronunciato il 19 marzo 1928 in un accenno che egli non seppe, non volle tacere ad onore di S. Giuseppe, come amava salutarlo, S. Giuseppe caro e benedetto.

« E' suggestivo, egli diceva, l'osservare da vicino e quasi veder

brillare l'una accanto all'altra due magnifiche figure che si accompagnano agli inizi della Chiesa: innanzitutto quella di S. Giovanni Battista, che si affaccia dal deserto, talora con voce tonante, e talvolta con mite dolcezza: talora come il leone che rugge e tal'altra come l'amico che gode della gloria dello sposo, e offre in faccia al mondo il fasto meraviglioso del suo martirio. Poi la figura robustissima di Pietro che ascolta dal Maestro Divino le magnifiche parole: "andate e predicate a tutto il mondo": e per lui personalmente: "tu sei Pietro, e sopra questa pietra io edificherò la mia Chiesa". Missione grande, divinamente fastosa e clamorosa ».

Così diceva Pio XI. E poi proseguiva, oh! come felicemente: « Fra questi grandi personaggi, tra queste due missioni, ecco apparire la persona e la missione di S. Giuseppe, che passa invece raccolta, tacita, quasi inavvertita e sconosciuta nella umiltà, nel silenzio, un silenzio che non doveva illuminarsi se non più tardi, un silenzio a cui doveva ben succedere, e veramente alto, il grido, la voce, la gloria nei secoli » [1].

Oh! la invocazione, oh! il culto di S. Giuseppe a protezione del Concilio Ecumenico Vaticano II.

Venerabili Fratelli e figliuoli di Roma, Fratelli e figliuoli diletti di tutto il mondo: è a questo punto che Noi desideravamo di condurvi, inviandovi questa Lettera apostolica giusto nel giorno 19 marzo, in cui nella celebrazione di S. Giuseppe, Patrono della Chiesa universale, poteva venire alle vostre anime l'eccitamento ad una ripresa straordinaria di fervore, per una partecipazione orante più viva, ardente e continuata alle sollecitudini della Santa Chiesa, maestra e madre, docente e dirigente di questo straordinario avvenimento del Concilio Ecumenico XXI, e Vaticano II, di cui tutta la pubblica stampa mondiale si occupa con interessamento vivo, e con attenzione rispettosa.

Vi è ben noto che una prima fase della organizzazione del Concilio è in attività tranquilla, operosa e consolante. A cento e cento, prelati ed ecclesiastici distintissimi, convenuti da tutte le regioni del mondo, qui si succedono nell'Urbe, distribuiti in varie e ben ordinate sezioni, impegnate ciascuna al proprio nobile lavoro, sulle tracce di preziose indicazioni contenute in una serie di imponenti volumi, recanti il pensiero, l'esperienza, i suggerimenti raccolti dalla intelligenza, dalla saggezza, dal vibrante fervore apostolico di ciò che costituisce la vera ricchezza della Chiesa Cattolica del passato, del presente e dell'avvenire. Il Concilio Ecumenico non domanda per il suo compimento, e per il suo successo,

---

[1] *Discorsi di Pio XI*, vol. I, p. 780.

che luce di verità e di grazia, disciplina di studio e di silenzio, pace serena di menti e di cuori. Questo dalla parte nostra umana. Dall'alto è l'aiuto celeste che il popolo cristiano deve invocare con una cooperazione viva di preghiera, con uno sforzo di vita esemplare, che anticipi e sia saggio della disposizione ben decisa da parte di ciascuno dei fedeli ad applicare poi gli insegnamenti e gli indirizzi, che verranno proclamati nella conclusione auspicatissima del grande avvenimento, che ora è già in corso promettente e felice.

Venerabili Fratelli e diletti figliuoli.

Il luminoso pensiero di papa Pio XI del 19 marzo 1928 ci persegue ancora. Qui da Roma la Cattedrale sacrosanta del Laterano splende sempre nella gloria del Battista. Ma nel tempio massimo di S. Pietro, dove si venerano ricordi preziosi di tutta la Cristianità, c'è pure un altare per S. Giuseppe: e Noi intendiamo, e Ce lo proponiamo in data di oggi 19 marzo 1961, che l'altare di S. Giuseppe si rivesta di splendore novello, più ampio e più solenne: e divenga punto di attrazione e di pietà religiosa per singole anime, per folle innumeri. E' sotto queste volte celestiali del tempio Vaticano che si raccoglieranno intorno al Capo della Chiesa le schiere dei componenti il Collegio Apostolico convenute da tutti i punti, anche più distanti dell'Orbe, per il Concilio Ecumenico.

O S. Giuseppe! qui, qui è il tuo posto di *Protector universalis Ecclesiae.* Ti abbiamo voluto porgere attraverso le voci e i documenti dei Nostri immediati antecessori dell'ultimo secolo — da Pio IX a Pio XII — un serto di onore, in eco alle testimonianze di affettuosa venerazione, che ormai si sollevano da tutte le nazioni cattoliche e da tutte le regioni missionarie. Siici sempre protettore. Che il tuo spirito interiore di pace, di silenzio, di buon lavoro e di preghiera, a servizio della Santa Chiesa, ci vivifichi sempre e ci allieti in unione con la tua Sposa benedetta, la dolcissima e Immacolata Madre nostra, in amore fortissimo e soave di Gesù, il re glorioso ed immortale dei secoli e dei popoli. Così sia.

142. - **6 apr.**: Ex *Allocutione* Summi Pontificis ad alumnos seminariorum Italiae: O.R. 7 apr. 1961.

Nell'affidarvi questi pensieri, il Nostro spirito esulta al pregustamento del bene, che il Signore vuole trarre da ognuno di voi, secondo un piano di infinito amore: al pensiero che il vostro sacerdozio coglierà i primi frutti del Concilio Ecumenico, nel fre-

mito di anime che ognuno di tali solenni avvenimenti ha suscitato nella Chiesa, ogniqualvolta essi furono celebrati.

143. - **11 apr.**: *Epistula Apostolica* « Celebrandi Concilii Oecumenici » Summi Pontificis ad Venerabiles Fratres Patriarchas, Primates, Archiepiscopos, Episcopos aliosque locorum Ordinarios pacem et communionem cum Apostolica Sede habentes: De supplicatione habenda proximo festo Pentecostes pro Concilio Oecumenico Vaticano II: A.A.S. 53 (1961) 241-242.

Celebrandi Concilii Oecumenici postquam inivimus propositum, supplices Deo cotidie admovimus preces, ut misericordiae suae abundantiam in Ecclesiam eiusque Pastores effunderet. Concilium enim opus grande est, cui hominum non sufficiunt vires: sed per Redemptorem Nostrum vim efficacitatemque obtinet, qui, Apostolos suos benigne alloquens, se rogaturum Patrem promisit ut alium Paraclitum ipsis daret, Spiritum veritatis: « Ille vos docebit omnia et suggeret vobis omnia, quaecumque dixero vobis » (*Io.* 14. 26).

Ea quidem de causa saepissime hortati sumus Vos, Venerabiles Fratres, et fideles omnes, sacrorum in primis alumnos, pueros, aegrotos, ut per ingeminatas cunctorum preces atque oblata Deo sacrificia, Omnipotentis Dei indulgentiam consequeremur et gratiam.

Laetanti animo conspeximus et divini auxilii et vestrae sedulitatis argumenta: quandoquidem quod suavissima exspectatione in Coenobio Basilicae Ostiensis nuntiavimus, res iam exstat magna consideratione digna, quae Patrum Cardinalium atque sacrorum Antistitum admirationem et concordem plausum excitat: piamque fidelium plebem in universo orbe gaudio complet sancto. Quod autem modicum semen apparebat, in arborem crescit virentem, frondibus, floribus, fructibus conspicuam, quae magnam spem, in Ecclesiae decorem, portendit.

Misericordias Domini in aeternum cantemus, Eique gratias humiliter agamus, quoniam largissima ope tantum prosperavit inceptum.

Cum autem labores Concilio apparando impensiores fiant, atque iterandarum precum necessitas magis magisque persentiatur, exoptamus, Venerabiles Fratres, ut proximo adventante festo Pentecostes, sollemni praemissa — ut mos est — novendiali supplicatione, flagrantes in universa Ecclesia Nobiscum admoveantur Spiritui Sancto preces, ut eis praesertim adsit, qui parando Con-

cilio operam sollerter impendunt: mentes visitet, superna gratia impleat, fons vivus, ignis, caritas.

Deiparae Virginis Mariae, quae est mater gratiae et Concilii patrona caelestis, potens advocetur intercessio; atque votis indulgeat S. Ioseph, eius Sponsus castissimus, cui nuper Concilium fidenter commisimus.

Sollemni huic supplicationi splendorem addere volentes, proximo die Pentecostes in Basilica Petriana, quae erit Concilii sedes, quibusdam Episcopis ad Evangelium in longinquis oris nuntiandum electis consecrationem Ipsi conferemus.

Cupimus praeterea ut opportuna incepta foveantur et multiplicentur, quae fidelium mentibus proximi Concilii Oecumenici momentum atque proposita illustrent.

Plane speramus, Venerabiles Fratres, fore ut Deus Omnipotens atque beati Caelites aurem suam precibus accommodent nostris; atque Ecclesia, suo splendore latissime fulgens, praebeat cunctis mirum unitatis, veritatis caritatisque spectaculum, quod conspicientes ad eam trahantur, qui extra maternum eius sinum ad haec usque tempora degunt.

Qua freti fiducia, vobis singulis universis, Venerabiles Fratres, et gregi unicuique vestrum concredito, Apostolicam Benedictionem effusa caritate impertimus.

144. - **12 apr.**: *Praesidentia* Summi Pontificis in sessione Commissionis de Religiosis: O.R. 1 3apr. 1961.

L'Augusto Pontefice ha presieduto questa mattina, alle ore 10, una seduta di studio della Pontificia Commissione dei Religiosi preparatoria del Concilio Ecumenico Vaticano II, nella sala delle Congregazioni al terzo piano del Palazzo apostolico.

Il Santo Padre, che era accompagnato da S. E. Mons. Pericle Felici, Arcivescovo tit. di Samosata, Segretario generale della Commissione Centrale, è stato ricevuto dall'Em.mo Cardinale Valerio Valeri, Presidente della Commissione e dal Segretario della medesima, Rev.mo Padre Giuseppe Rousseau, dei Missionari Oblati di Maria Immacolata.

Sua Eminenza rivolgeva a Sua Santità parole di devotissimo saluto e di profondo ossequio a nome di tutti i componenti la Commissione, intervenuti a quell'alto incontro.

Il Santo Padre, esprimendosi in latino, aveva per tutti parole di compiacimento e di esortazione, svolgendo tre particolari pensieri.

L'Augusto Pontefice sottolineava, dapprima, la necessità di un

maggiore coordinamento di tutte le magnifiche energie dei religiosi nelle opere di apostolato, sotto la saggia guida dei Vescovi.

Raccomandava inoltre l'esercizio delle virtù fondamentali proprie di chi ha consacrato la intera vita al Signore, senza le quali le stesse opere di apostolato non potrebbero ottenere frutti copiosi di bene.

Infine Sua Santità esortava a dedicare particolare impegno nell'esercizio della obbedienza, che è garanzia di successo e che porta ad evitare, nelle opere di Ministero, quelle singolarità che potrebbero avere perniciosi effetti.

Il Santo Padre, il quale ha seguito anche il dibattito sul tema proposto per l'adunanza; ed ha salutato singolarmente gli intervenuti, ha lasciato la sala alle ore 11, tra il riconoscente e filiale omaggio di tutti i presenti.

145. - **16 apr.**: Ex *Allocutione* Summi Pontificis in Aede Sixtina habita, postquam Exc.mum P. D. Gabrielem Acacium Coussa, Sacrae Congregationis pro Ecclesia Orientali Adsessorem, Episcopum graeco ritu consecravit: A.A.S. 53 (1961) 267-268.

III. Il Concilio

Questa data del 16 aprile — la domenica del Buon Pastore e delle Sante Donne offerenti a Gesù Risorto aromi e profumi — si richiama alla liturgia Bizantino-Slava della domenica 13 novembre dello scorso anno, celebrata nella basilica Vaticana, come primo segno di partecipazione dell'Oriente con l'Occidente all'avviamento del mondo intero verso il Concilio Ecumenico Vaticano II.

Nel buon solco aperto, il lavoro è fervido. La preparazione è attenta, calma, ed insieme decisa e lieta. *Petrus omnium Pater.* Poichè, dall'inizio della storia ecclesiastica, la barca di Pietro approdò a queste rive, di qua il movimento spirituale continua a prendere e ad accrescere vivacità e intensità di mosse. San Paolo e i ricordi della sua navigazione verso questo punto centrale della storia e della vita del mondo, rinnovellati dalle commemorazioni centenarie in corso, aggiungono maestà e fervore al dispiegamento delle energie di quanti sentono e gustano la collaborazione agli sforzi della Santa Chiesa, perchè il Concilio riesca ad edificazione di tutto il popolo cristiano.

Possiamo dirlo. La consacrazione del nuovo Vescovo titolare di Gerapoli di Siria è un punto luminoso di richiamo e di incoraggiamento per tutti.

Intanto, nella attesa della celebrazione del Concilio, ciascuno prende il posto suo: il Papa e i Vescovi; il clero secolare e regolare; i fedeli di ogni regione della terra. Tutto ciò comincia ad essere uno sforzo per la ricerca di perfezionamento interiore delle singole anime et delle istituzioni; è il segno di una partecipazione personale e viva all'avvenimento; ed è pegno di una grande benedizione per tutti.

I figli dell'Oriente, abitanti negli antichi paesi di loro origine, o vivano sparsi in vari punti della terra, ma uniti tra loro nelle fiorenti comunità — di cui conosciamo il fervido apostolato —, sono chiamati a dare prova della loro fede cattolica, del loro coraggio conquistatore, della loro pietà ardente. E così sia veramente per tutti, venerabili Fratelli e diletti figli; per tutti e sempre.

146. - **17 apr.**: *Praesidentia* Summi Pontificis in sessione Commissionis de Sacra Liturgia: O.R. 17-18 apr. 1961.

Questa mattina il Santo Padre ha presieduto, alle ore 10, nella Sala delle Congregazioni del Palazzo Apostolico ad una riunione della Pontificia Commissione della Sacra Liturgia, preparatoria del Concilio Ecumenico Vaticano II.

L'Augusto Pontefice, con il quale era l'Ecc.mo Mons. Pericle Felici, Segretario Generale della Commissione Centrale, è stato accolto dal Presidente E.mo Gaetano Cicognani, e dal Segretario, Rev.mo Padre Annibale Bugnini, della Congregazione della Missione.

Il Santo Padre, che ha seguito con particolare attenzione il dibattito del tema in esame, dopo avre ascoltato un devoto indirizzo d'omaggio del Cardinale Cicognani, ha rivolto ai partecipanti alla seduta — circa 60 tra componenti e consultori — un paterno Discorso in lingua latina.

Egli si è soffermato a parlare dell'importanza della Santa Messa e dell'Ufficio divino nella giornata del sacerdote. L'Ufficio, se ben recitato come si conviene ad un ministro di Dio, anzichè essere un peso, è fonte di luce, di spirituale conforto, di grazia per bene condurre la propria vita e rendere fecondo il ministero sacerdotale. Egli, il Papa, trova soave dolcezza nella lettura devota del Breviario, derivandone soprannaturale vigore per l'esercizio della sua alta missione.

Ricordando poi la consacrazione episcopale conferita ieri, in Rito Greco, all'Ecc.mo Monsignore G. Acacio Coussa, Assessore

della Sacra Congregazione per la Chiesa Orientale, l'Augusto Pontefice ha tenuto a ripetere la sua profonda soddisfazione per l'eccezionale avvenimento, il primo nella storia della Chiesa, che getta tanta luce di speranza per il prossimo Concilio Ecumenico. Sua Santità ne ringrazia vivamente il Signore.

Alle 11.15, tra il reverente e grato ossequio di tutti gli intervenuti, il Santo Padre, dopo essersi intrattenuto affabilmente con i singoli, lasciava la sala della riunione.

147. - **18 apr.**: *Consultatio* Exc.mi P. D. Pericles Felici, Archiepiscopi tit. Samosatensis, Secretarii Generalis Commissionis Centralis: O.R. 20 apr. 1961.

Un quadro molto efficace dello stato dei lavori preparatori del Concilio Ecumenico è stato tracciato, ieri martedì, davanti ad una folta rappresentanza molto qualificata della stampa italiana ed estera, da S. E. Mons. Pericle Felici, Arcivescovo tit. di Samosata, Segretario generale della Commissione Centrale del Concilio.

Il Presule aveva invitato i giornalisti ad un amichevole incontro nei locali di Via Serristori 12 che sono stati attrezzati a sede del futuro ufficio stampa del Concilio. E si è avvalso di questa occasione per illustrare a circa un centinaio di corrispondenti vari interessanti aspetti della alacre attività preparatoria, attualmente in pieno sviluppo, dei vari organismi conciliari.

Il Prelato ha esordito sottolineando una felice coincidenza. Poche ore prima era stata pubblicata la Epistola Apostolica con la quale il Santo Padre invita tutti i fedeli del mondo a pregare, specie in occasione della prossima Pentecoste, per il Concilio Ecumenico. Ad essa era da attribuire una particolare significazione, quella cioè dell'urgenza che si ha dell'aiuto divino perché il grande avvenimento non sembra più così lontano.

E a questo proposito Mons. Felici ha osservato che, se il lavoro proseguirà con l'impegno ed il ritmo attuali, è viva la speranza che il Concilio possa celebrarsi nell'autunno del 1962, secondo il desiderio più volte espresso dal Santo Padre, il quale segue con specialissimo interesse i lavori, dando le direttive fondamentali.

Il Presule ricordava poi ai presenti cosa era stato fatto fino ad oggi e illustrava brevemente cosa si sta facendo ora.

Le undici Commissioni ed i tre Segretariati — ha detto — sono in pieno fervore di studi. Ogni organismo sta lavorando nel campo della propria competenza. Quando si presentano questioni in comune si creano delle intercommissioni allo scopo di

evitare che uno stesso problema venga esaminato più volte. Ed ha osservato che tutto procede bene, con abnegazione, diligenza e fervore meravigliosi.

L'augusto Pontefice ha voluto più volte presiedere delle sedute di studio. E lo ha fatto e lo farà ancora, non solo per dare lustro ai lavori preparatori, ma anche per ringraziare ed incoraggiare gli Ecc.mi Vescovi, Prelati e religiosi che si dedicano con grande entusiasmo e competenza a questa non comune fatica. Anche al cospetto del Vicario di Cristo i vari membri e consultori delle singole Commissioni che effettivamente, per la loro provenienza, rappresentano tutta la Chiesa, hanno manifestato in piena libertà la loro opinione sui temi in discussione. Ed è proprio quello che desidera Sua Santità, sentire cioè la voce dei Vescovi e delle personalità più qualificate del mondo ecclesiastico e religioso, per i supremi interessi della Chiesa.

Accennando ai compiti della Commissione Centrale, presieduta dal Sommo Pontefice, Mons. Felici ha ricordato che essa ha il compito di esaminare e di vagliare gli argomenti studiati dalle varie Commissioni. Come è noto, la Segreteria della Commissione Centrale ha di recente ultimata la redazione accurata di ben 15 tomi che documentano la fase antipreparatoria. Questi si trovavano a fianco dell'Oratore. Ed i giornalisti ne hanno potuto constatare la mole e la bella veste tipografica. Ma per ora non sono di pubblica ragione. La medesima Segreteria ne sta redigendo un indice di nomi con utilissimi dati statistici.

Inoltre la Commissione Centrale si sta attivamente occupando delle varie questioni che si riferiscono alla celebrazione del Concilio.

Riguardo agli argomenti che saranno oggetto di esame da parte dei Padri conciliari Mons. Felici ha osservato che non si possono fare delle affermazioni serie e positive dal momento che dipendono dal lavoro delle varie Commissioni e dalle decisioni del Santo Padre. Ma evidentemente saranno trattati i punti di maggior rilievo che abbiano bisogno di particolare illustrazione o di qualche aggiornamento. Certamente — ha detto a mo' d'esempio il Presule — non si parlerà del celibato ecclesiastico, avendo il Sommo Pontefice espresso la sua sovrana parola in proposito, soprattutto in occasione della celebrazione del Sinodo Romano.

Circa il funzionamento dell'Ufficio Stampa Mons. Segretario Generale ha detto che esso sarà organizzato secondo le necessità. Oggi queste sono limitate e di conseguenza limitata sarà l'attività dell'ufficio destinato a dare assistenza ai giornalisti. Occorre — ha aggiunto — che i giornalisti e il pubblico abbiano pazienza: e

se è sommamente desiderabile che tutti i fedeli, come spesso ha ammonito il Santo Padre, portino un vivo interessamento al grande avvenimento, non bisogna dimenticare che il Concilio è un atto solenne dell'altissima potestà di magistero e di governo dei Successori degli Apostoli, con a capo il Successore di Pietro: a loro quindi tutti devono guardare con riverente silenzio, pregando lo Spirito Divino perché voglia illuminarli ed incoraggiarli, nel supremo interesse della Chiesa. Uno stretto segreto d'ufficio tiene tutti i componenti delle Commissioni di studio: e questo segreto deve essere da tutti gelosamente rispettato, secondo l'ammonimento più volte espresso dal Sommo Pontefice.

Al termine della sua esposizione numerosi giornalisti hanno posto delle domande a Mons. Felici che così ha avuto modo di chiarire alcuni punti molto interessanti circa la partecipazione dei dei laici al Concilio, l'uso del latino e l'invito ad osservatori.

Affermato che la partecipazione viva al Concilio è esclusiva della Chiesa docente, Mons. Felici ha detto che ciò non toglie, anzi è augurabile, che i laici, cominciando da questa fase preparatoria, affidino ai Vescovi le loro osservazioni e i loro desiderata. In tal modo essi vi potranno avere una partecipazione reale, anche se non ufficiale.

Circa l'uso della lingua dei Padri Conciliari, Mons. Felici ha affermato che questa senza dubbio sarà la latina. Pur non escludendo che qualche Padre possa esprimersi nel suo idioma, ha soggiunto che è sua convinzione che tutti avranno la «santa ambizione» di parlare nella lingua latina.

Infine Mons. Felici non ha escluso che al Concilio vengano invitati, in qualità di osservatori, personalità non cattoliche. La questione è, comunque, studiata attentamente.

149. - **21 apr.**: *Praesidentia* Summi Pontificis in sessione Commissionis de Missionibus: O.R. 22 apr. 1961.

Questa mattina alle ore 10, il Santo Padre, nel Suo vivo desiderio di seguire sempre più da vicino i lavori preparatori del Concilio, ha presieduto una riunione della Pontificia Commissione per le Missioni preparatoria del Concilio Ecumenico Vaticano II.

L'Augusto Pontefice, con il quale era S. E. Monsignore Pericle Felici, Arcivescovo tit. di Samosata, Segretario Generale della Commissione Centrale, è stato accolto dall'E.mo Cardinale Gregorio Pietro Agagianian, Presidente, e dal Segretario Ecc.mo Monsignor David Mathew Arcivescovo tit. di Apamea di Bitinia.

Sua Santità ha seguito con particolare interesse la discussione del tema stabilito. Quindi, in risposta ad un devoto indirizzo d'omaggio dell'Em.mo Cardinale Presidente, ha rivolto ai partecipanti alla seduta, — oltre 40 personalità tra membri e consultori della Commissione, molti dei quali provenienti dai Paesi dell'apostolato missionario, — un paterno Discorso in lingua latina.

L'Augusto Pontefice ricordava che qualche giorno prima del Conclave del 1922, essendosi recato a visitare il Cardinale Achille Ratti, manifestò al Porporato l'augurio che il futuro Pontefice fosse un Papa missionario. Quando avvenne l'elezione di Pio XI ed il compianto Cardinale van Rossum, Prefetto di Propaganda, compì il rituale atto di omaggio, il Papa gli disse che bisognava incrementare le opere missionarie. Successivamente, nel corso di un'udienza allo stesso Cardinale, ripetè l'esplicita direttiva e lo incaricò di riferire a Monsignor Angelo Roncalli che s'interessasse con particolare zelo all'Opera della Propagazione della Fede.

In tal modo — proseguiva ora Sua Santità — Pio XII incominciò con grande fervore missionario il suo Pontificato e le sue opere ed attività in questo campo formarono l'ammirazione del mondo. Di poi il Santo Padre ricordava che nella visita che Egli fece al Cardinale Celso Costantini, degente in una clinica, qualche giorno prima del Conclave del 1958, anche quel Porporato, — il quale aveva dedicato tanta parte della sua attività al problema missionario, — manifestò al Cardinale Roncalli il suo ardente voto perchè venisse eletto un Papa che avesse vivamente a cuore il fiorire delle missioni.

Tale augurio, osservava Sua Santità, si è verificato, giacchè Egli, fin dall'inizio del Suo apostolico Ministero, si è dedicato con tutto il cuore al grande ideale, che rispecchia il testamento di Gesù: « *Euntes docete omnes gentes* ». Perciò l'Augusto Pontefice si diceva lieto di essere presente alla trattazione di temi così importanti per la vita delle missioni. Aggiungeva di avere tanta fiducia nella bontà del Signore: certo, non mancano notizie tristi e preoccupanti, ma Iddio penserà sicuramente alla Chiesa e alla pace tra gli uomini.

Al termine del Suo dire, il Santo Padre confidava ai presenti di aver ritrovato alcuni suoi appunti spirituali di quando aveva 15 anni. In essi ha riletto il proposito che aveva fatto di pregare sempre intensamente il Signore per il ritorno dei fratelli separati e per le necessità delle missioni. Proprio in quei giorni, infatti, aveva incominciato a conoscere le opere missionarie attra-

verso alcune pubblicazioni specializzate e la vita di insigni araldi del Vangelo.

Da ultimo, rifacendosi ad un pensiero di Santa Margherita M. Alacoque, affermava che per Lui sarebbe stato molto dolce chiudere la sua esistenza avendo dedicato tutta la propria vita alla dilatazione del Regno di Cristo sulla terra.

Tutti gli interventi hanno tenuto a manifestare al Supremo Pastore la loro sentitissima riconoscenza e l'incondizionato proposito di rispondere, con alacre generosità, alle sue norme provvide e luminose.

150. - **25 apr.**: *Praesidentia* Summi Pontificis in sessione Commissionis de Episcopis et de dioeceseon regimine: O.R. 27 apr. 1961.

Ieri martedì, alle ore 11,30, il Santo Padre Giovanni XXIII, avendo al seguito S. E. Monsignor Pericle Felici, Arcivescovo titolare di Samosata e Segretario Generale della Commissione Centrale per il Concilio Ecumenico Vaticano II, si è recato nell'Aula delle Congregazioni al terzo piano del Palazzo Apostolico, per presiedere un'adunanza della Pontificia Commissione dei Vescovi e del Governo delle Diocesi, che è una delle Preparatorie dello stesso Concilio Ecumenico.

L'Augusto Pontefice è stato ricevuto da Sua Eminenza il Cardinale Paolo Marella, Presidente della Commissione, e dal Segretario della medesima, Sua Eccellenza Monsignor Giuseppe Gawlina, Arcivescovo titolare di Madito.

Subito il Cardinale Marella rivolgeva a Sua Santità parole di riconoscente e devoto ossequio, a nome anche di tutti i Presuli e Prelati partecipanti alla riunione.

Esprimendosi in lingua latina, Sua Santità confidava alla eletta assemblea che dal giorno del primo annuncio da Lui dato al Sacro Collegio, nel Monastero di San Paolo, ha sempre pensato che il Concilio fosse avvenimento ottimo e utilissimo alla Chiesa, soprattutto per la nuova documentazione di unità, di verità e di carità che esso avrebbe offerto al mondo, oggi tanto diviso. La risposta che da tutte le parti Gli è pervenuta è stata unanime e concorde, così da superare ogni previsione e da infondere piena certezza che il Concilio non solo si celebrerà, ma porterà alla famiglia cattolica risultati eccellenti di più fervida vita religiosa.

Accennando agli atteggiamenti dei fratelli separati, Sua Santità osservava che si sono fatti grandi progressi dai tempi di Leone XIII ad oggi. Dalla ostilità di allora si è giunti ad un

orientamento di palese comprensione, attestata dalla accoglienza fatta alla notizia della storica iniziativa.

Infine il Santo Padre ha ricordato l'Udienza concessa il giorno innanzi ai componenti il Consiglio Direttivo della Unione Internazionale della Stampa Cattolica. Egli aveva raccomandato ai quei benemeriti giornalisti, che essi, trattando dei prossimi avvenimenti conciliari, fossero prudenti, seri, gravi e particolarmente saldi circa il principio dal Sommo Pontefice stabilito fin dall'inizio: che il Concilio è un fatto interno della Chiesa Cattolica e ha di mira il suo rinnovellato splendore e il rifiorire dei suoi istituti, in vista di un loro maggiore adeguamento ai tempi presenti. Solamente dopo che ciò si sarà ottenuto — aveva proseguito il Santo Padre — sarà agevole rivolgere efficacemente il pensiero, e rinnovare pratici propositi per facilitare i ritorni alla Casa paterna.

Infine l'Augusto Pontefice ha detto che segue i lavori conciliari con vivo interessamento e nutre grande desiderio di poterne vedere i benefici effetti. Peraltro — ha aggiunto — anche essendo sicuro che il Signore gliela concederebbe, Egli non chiede la grazia di celebrare il Concilio, perchè soprattutto desidera compiere, ogni giorno, ora per ora, l'adorabile volontà di Dio.

151. - **28 apr.**: *Audientia* Generalis: O.R. 28 apr. 1961.

Ai Sacerdoti di Salerno il Santo Padre augurava molti anni di santo e fecondo ministero, e di mantenere sempre lo spirito che dà impulso e ardore, rende il Sacerdote fermento benefico nella società e lo fa rassomigliare sempre più a Cristo Signore.

Il Papa conosce la loro arcidiocesi e la loro bellissima Cattedrale, venerabile per antichità e per il privilegio di conservare le Reliquie di San Matteo, il grande Evangelista, nonchè le Spoglie del Santo Pontefice Gregorio VII.

Sono due figure insigni che ci servono di richiamo all'amore del Vangelo e per la Chiesa, che San Gregorio voleva — e deve essere, secondo una sua caratteristica espressione — libera, casta, cattolica.

Anche il Concilio Ecumenico che si avvicina e che interessa tutto il mondo cristiano, ha per base questo trinomio.

152. - **30 apr.**: Ex *Allocutione* Summi Pontificis ad peregrinationem Bergomatium: O.R. 2-3 mai. 1961.

III - Ed ora vogliate accogliere ancora una parola, sul posto che i Bergamaschi sono chiamati ad avere nel prossimo Concilio Ecumenico.

Diletti figli. A ripensare agli ultimi due Concili della storia della Chiesa, il Tridentino e il Vaticano I°, c'è da restare sorpresi.

Il Tridentino segnò la ripresa del fervore apostolica e della ricostruzione coraggiosa e imponente là dove era passato l'uragano.

I Padri avevano studiato, discusso, elaborato le costituzioni mettenze laicali, ritardi talora inesplicabili: tutto fu superato con infinita pazienza e costanza. Ostacoli d'ogni genere, intramdalla sicurezza che infiammò la Chiesa di Cristo di non doversi arrendere a patto alcuno con chi voleva menomare il sacro patrimonio della Rivelazione.

Il petto forte dei dottori più qualificati del tempo e la mitezza dei santi coronarono l'*opus maximum* del secolo XVI.

Voi non conoscete forse alcuni particolari degni di nota. L'insigne prelato che ebbe l'onore di concludere il Concilio di Trento con un discorso mirabile - che Noi non cessiamo di gustare - fu Gerolamo Ragazzoni della famiglia originario di Valtorta, dell'Alta Valle Brembana. Dopo il Concilio Vescovo di Bergamo insigne e servitore quant'altri mai distinto e benemerito della Sede Apostolica; amico di S. Carlo Borromeo, e per quattro anni Nunzio Apostolico in Francia.

Al Concilio Vaticano I - che eventi politici fecero sospendere al suo veramente glorioso inizio - erano presenti il Vescovo Mons. Pietro Luigi Speranza e il suo coadiutore Mons. Alessandro Valsecchi: degni entrambi di rispetto per il loro zelo pastorale e per la fedeltà alla Santa Sede, di cui particolarmente Monsignor Speranza diede esempio in faccia al mondo e in circostanze calamitose su cui stamane piace sorvolare.

Alla prossima celebrazione del Concilio Vaticano II, prenderà posto il venerato pastore della Chiesa Bergomense, che già attende al buon lavoro tra i membri della Commissione preparatoria per il governo delle diocesi.

Le voci, le comunicazioni che giungono da tutte le parti del mondo, e ringraziando Iddio, diciamolo, in accordo sereno di anime e di nazioni, come mai nella storia della Chiesa occorse di constatare, certo spiegano come *Papa Ioannes episcopus Ecclesiae Dei*, dalla Chiesa universale, sia rivolto alla preparazione del grande avvenimento.

Il Concilio Ecumenico vuol essere un segno della misericordia grande del Signore sopra la sua Chiesa. Tocca perciò nel punto più alto la coscienza, il cuore del Successore di S. Pietro, per umile che Egli sia di provenienza e di persona.

Il Concilio è opera del Papa e dell'episcopato con Lui strettamente congiunto, giovantesi del contributo di competenze in ogni campo di dottrina e disciplina altissime ed esperimentate.

La cooperazione diretta e prevalente ad un Concilio Ecumenico è compito immediato ed esclusivo dell'Episcopato Cattolico in unione col Vescovo di Roma il Sommo Pontefice, Capo della Chiesa universale.

Ma anche il popolo cristiano è chiamato ad una partecipazione spirituale, di cui ogni giorno ammiriamo gli imponenti inizî. Partecipazione di preghiera soprattutto: poi cooperazione di buon giudizio, di attesa riverente se pure ansiosa intorno all'apostolato gerarchico da far pensare alle eccellenti disposizioni del popolo di Efeso degli antichissimi tempi. Quando adunati in preghiera, mentre i Padri nel tempio elaboravano la perfetta terminologia della dottrina, gli Efesini attendevano la loro uscita con lampade e fiaccole, inneggiando ed acclamando a Cristo. Dio e Uomo, ed alla Madre sua cara e benedetta, *mater Dei, mater nostra.*

153. - **20 mai.** :*Praesidentia* Summi Pontificis in sessione Commissionis de disciplina cleri et populi christiani: O.R. 21 mai. 1961.

Questa mattina, alle ore 10, l'Augusto Pontefice, che era seguito da S. E. Rev.ma Mons. Pericle Felici, Arcivescovo tit. di Samosata, Segretario Generale della Commissione Centrale preparatoria del Concilio Ecumenico, si è recato nella Sala delle Congregazioni, al terzo piano del Palazzo Apostolico Vaticano, per presiedervi parte di una riunione di studio della Pontificia Commissione della Disciplina del Clero e del popolo cristiano.

Il Santo Padre è stato accolto dal Cardinale Presidente, E.mo Pietro Ciriaci e dal Segretario, Rev.mo Padre Cristoforo Berruti, dei Frati Predicatori.

Dopo aver ascoltato un indirizzo di profonda riconoscenza e devozione al Vicario di Gesù Cristo, detto, a nome di tutti i presenti, dal Cardinale Ciriaci, Sua Santità rivolgeva a quanti svolgono attività nella importante Commissione paterne parole di grato compiacimento per l'impegno posto nella preparazione del Concilio: preparazione che realmente supera tutte le previsioni.

Quindi il Sommo Pontefice si intratteneva a parlare del grande ufficio del parroco, la cui missione deve sempre compiersi sotto il duplice aspetto di padre e maestro della comunità dei fedeli a lui affidata.

Infine, rilevandone l'importanza, accennava alla prossima Sua Enciclica sociale, nella quale Egli pone tante speranze, soprattutto considerando i grandi benefici già apportati dai due documenti dei Predecessori, Leone XIII e Pio XI: la *Rerum Novarum* e la *Quadragesimo Anno.*

Al termine Sua Santità si intratteneva affabilmente con i singoli intervenuti e, alle 11,15, lasciava l'Aula, salutato da una fervida dimostrazione di ommaggio riconoscente e di filiale rispondenza alle sollecitudini del Supremo Pastore.

B. - Synodus

134. - **13 febr.**: Ex *Allocutione* Summi Pontificis ad Urbis curiones sacrosque temporis quadragesimalis concionatores: de sacrae orationis fontibus deque apta christifidelibus et accurata dicendi ratione: A.A.S. 53 (1961) 155-157.

I. Le fonti della predicazione.

Nel « Motu Proprio » *Rubricarum instructum* del 25 luglio 1960, relativo alle nuove rubriche del Breviario, fu rinnovata al clero l'esortazione di volersi rendere familiare alla lettura e al gusto dei Padri della Chiesa. Fu un suggerimento, che conferma e suggella quanto abbiamo spesso ripetuto, in diverse occasioni di paterni colloqui sacerdotali. Come potete comprendere, traspare da essa la preoccupazione per i buoni e severi studi, condotti con perseverante impegno; e specialmente si esprime il voto che l'amore per il Libro Sacro e per la Tradizione sia il segno distintivo della predicazione, ed anche delle conservazioni familiari del sacerdote.

Di questa preoccupazione e di questo portano come un'eco i canoni del primo Sinodo Romano, in cui è espressamente detto: « *Suam doctrinam sacer orator continuo alat et temporibus adaequet assiduo Sacrae Scripturae, Sanctorum Patrum, theologicorum tractatuum, sacrae Liturgiae, Pontificiorum actorum studio* » [1].

Lo studio del Libro Sacro, nelle armonie dell'Antico e del

---

[1] Art. 256, § 1.

Nuovo Testamento, insieme alla conoscenza dei Santi Padri, della Liturgia e del magistero pontificio, vale anche per i fedeli, che hanno il dovere di istruirsi nella fede; vale per tutti i sacerdoti, in ogni tempo, sia nella giovinezza e maturità quando la loro parola ha particolare forza di penetrazione, sia nel vespro sereno della vita, in cui la placida sapienza degli anni assume un valore di conquidente testimonianza per le anime.

Ma per restare più propriamente al tema della predicazione di Quaresima, si deve dire che il buon ecclesiastico, nell'ordine i suoi argomenti e sermoni, si sottopone qui ad un serio esame di coscienza, e ad una applicazione particolarmente approfondita delle verità che vuole trattare. La felice possibilità di esporre in modo unitario, per un periodo di tempo così appropriato e caratteristico, l'insieme delle verità di fede, pone ciascuno di voi di fronte alla responsabilità di organizzare sapientemente le proprie nozioni di dottrina e di sacra erudizione, di approfondire con lo studio i temi prescelti. E' così che la predicazione quaresimale potrà portare quei frutti di spirituale rinnovamento, che da essa è naturale attendersi.

II. E DICIAMO ORA PIU' APERTAMENTE DI QUESTA PREDICAZIONE IN ATTO DI SVOLGERSI.

A suo riguardo il lamento è pressochè generale: prediche e catechismi non sono frequentati nella misura che si desidererebbe e che sarebbe necessario. Le condizioni così varie degli orari di lavoro in una grande città, il febbrile incalzare di attività e di esigenze più o meno necessarie, insieme alla ricerca di uno svago che è penetrato nell'intimo delle pareti domestiche e occupa con facile diversivo i tempi liberi della famiglia, rendono sempre più difficile far arrivare la parola del Signore a larghe rappresentanze della popolazione, e altresì rari i momenti di quieto raccoglimento, per ascoltare il divino insegnamento e trarne profitto.

Ma bisogna anche dire che la forma della predicazione talora non è adatta a stimolare e a saziare la sete delle eterne verità.

Tutto ha il suo peso: la lingua, il modo di esporre, il tratto misurato e umile. Gli orpelli di « una vaga erudizione », *quae ad rem non pertinet*, hanno perduto l'attrazione di cui godevano un tempo. Perciò tutto deve essere detto con chiarezza, con calma, con rispetto: non mai con espressione amara e aspra di polemica inefficace.

E' quanto ha voluto esprimere ancora il Sinodo nostro Romano: « *Exquisitiorem dicendi rationem et oratoria artificia vitans, orator sacer ex perspicuitate et simplicitate, ex evangelica*

solidìtate et caritate, persuadendi vim quaerat. Attamen, propter divini verbi reverentiam et audientium observantiam, curet, ut non solum res convenienter tractet, sed etiam ut accuratam usurpet rationem dicendi, temperatam vocem, sobrios ac decoros gestus » [2].

Non si potrà mai abbastanza raccomandare la sobrietà, la misura. Quante cose si possono dire in quindici-venti minuti, senza stancare, purchè non si divaghi.

Talora può accadere che un'anima si trovi in chiesa per pura combinazione, o, come avviene sovente a Roma, a semplice titolo di visitare le opere d'arte. Non è pura fantasia il pensare che Dio abbia scelto quella parola, o quel determinato momento, per toccare un cuore e convertirlo. Che onore e che merito per il predicatore divenuto strumento di grazia e di salvezza!

Va da sè che questa *ars artium* di conquista delle anime debba prendere vigore dalla preghiera e dalla santità della vita sacerdotale, vita di raccoglimento e di contemplazione. Sentite, sentite ancora il Sinodo. Quale incoraggiamento e nutrimento spirituale ai parroci e ai predicatori di questa Nostra diocesi Romana: « *Orator sacer studio et precibus fusis idoneas quaerat vias, quae eo adducant, ut a Deo gratiae dona obtineantur, quibus homines se ad Christi fidem convertant et piam degant vitam* »! [3] E ancora: « *Si sanctam et recti exempli vitam cum solida pietate sacer concionator coniunxerit, ipsius verbum audientium animos, divina adiuvante gratia, efficacius commovebit atque sese e gloriae, plausus, quaestus cupiditate immunem praestabit* » [4].

Meditiamo il Vangelo, diletti figli, a nostra più perfetta preparazione. In mezzo alla confusione di tante parole umane, il Vangelo è l'unica voce che illumina, attira, conforta, disseta; e la vostra esperienza vi insegna, con quanta attenzione le anime seguano il sacerdote che parla del Vangelo, lo spiega, e ne trae ispirazione continua alle sue parole e alla sua vita.

Quanto poi ai temi da trattare, è evidente che la predicazione non deve ridursi ad una sequela di fervorini, nè toccare solo il campo della morale, o alcuni aspetti soltanto di essa. Essa deve abbracciare tutto: fede, morale, culto, per dare ai fedeli il nutrimento solido, affinchè dall'intelligenza convinta passino alla pratica coerente della vita, e si infervorino al contatto della vita sacramentale della Chiesa. Come abbiamo voluto dire nel Nostro

---

[2] Art. 257, § 1 e 2.
[3] Art. 256, § 3.
[4] Art. 258.

primo incontro con voi, il 10 febbraio del 1959, « il popolo ci domanda pane sostanzioso di verità: non diamogli piccoli tratti o racconti più o meno edificanti che non fanno presa profonda sullo spirito. Alcuni di questi temi sono specialmente importanti e gravi ...: e tutto ciò non a colpi di vaga erudizione, ma a rilievi vivi e interessanti di celeste dottrina. L'ideale consiste nel saper così bene inquadrare la dottrina, in debite proporzioni, da niente dimenticare, e tutto volgere ad incrimento di solida formazione intellettuale » [5].

136. - **19 febr.**: *Visitatio* Summi Pontificis ad ecclesiam paroecialem S. Ioannis Baptistae de' Rossi: O.R. 22 febr. 1961.

Vide: Periodica 50 (1961) 331.

139. - **4 mart.**: *Praesidentia* Summi Pontificis in sessione Commissionis de Studiis et Seminariis: O.R. 5 mart. 1961.

Vide: Periodica 50 (1961) 334.

147. - **18 apr.**: *Consultatio* Exc.mi P. D. Pericles Felici, Archiepiscopi tit. Samosatensis, Secretarii Generalis Commissionis Centralis: O.R. 20 apr. 1961.

Vide: Periodica 50 (1961) 343.

148. - **21 apr.**: Ex *Allocutione* Summi Pontificis ad primum conventum nationalem italicum de vocationibus ecclesiasticis: O.R. 22 apr. 1961.

Coraggio, diletti figli, continuate senza intermissione nell'opera santa che vi è affidata. Il giovane che entra in seminario con buone disposizioni e con purità di intenzione è un sacro deposito, che va seguito con ogni sollecitudine. Egli trova nel suo seminario l'ambiente più adatto a formarne le virtù umane e cristiane, a temprarlo alle future difficoltà e contraddizioni, a prepararlo al sacrificio. Trova dei Superiori solleciti ed esemplari, paterni e comprensivi, severi quando occorre, equilibrati, giusti, longanimi. Trova maestri di sapienza celeste, prima che di erudizione umana,

---

[5] *Discorsi - Messaggi - Colloqui*, I, p. 140.

che ne formano la mente e il cuore, e lo rendono sensibile alle esigenze delle anime più che alle vane curiosità di una scienza fine a se stessa. Viene formato, specie negli anni decisivi, alla scuola della carità e dell'apostolato, come abbiamo voluto esprimere in un articolo del primo Sinodo Romano: « *Extremis praesertim studiorum annis doctrina et usus alumnis explanetur de catechismo tradendo, de sacris orationibus habendis, de Poenitentiae sacramento ministrando atque directione animarum ... de aegrotis ac pauperibus iuvandis* » (478 § 3). E ancora: « *Qui sacrorum alumnos ad sacerdotium instituunt, ad id in primis operam conferant, ut eorundem iuvenum animi moresque ad pietatem cum primis probe conformentur; quoniam si secus acciderit, vel exquisitissima doctrina, ob superbiam et arrogantiam quae facile descenderet in animos, maximas edere poterit ruinas* » (479).

SUMMARIUM PRIMAE ROMANAE SYNODI

(Lib. I: *De Personis,* Pars 1, sectio prima:)
De clero Romano generatim (*continuatio* [1]).

De peculiaribus officiis erga alios (art. 75-82)

Sub hoc titulo in memoriam revocantur praecepta caritatis, oboedientiae, observantiae erga omnes qui praesunt, et qui iterum ac saepius Apostolicam Sedem vel dioecesanam Curiam detrectaverit, sciat se, nisi canonicae admonitioni aurem praebuerit, posse statutis poenis puniri atque ab ipsa Urbe removeri. Rei publicae Auctoritatibus obsequium et debita oboedientia praestetur, et si forte contingat ut Clerus rationem exigere debeat, qua principia fidei et morum ad civilem societatem accomodentur, hoc iure officioque prudenter ac moderate utatur, in bonum commune unice intentus. Praesertim cum pro concione ex altari vel e suggestu dicunt aut in commentariis scribunt, quantum fieri potest, ab iis omnibus sacerdotes abstineant, quae vel ad suam ipsorum vel ad aliorum personam respiciant, ita ut omnibus pateat se eo unice spectare ut verum defendatur, error tollatur, magna semper erga errantes benignitate et caritate servata.

Sacerdotum cum mulieribus agendi ratio sit perquam gravis et prudens. Qui cum sacerdote unâ vivere debent, sint etiam propinqui et necessarii, magna cura deligantur, ita ut maxima sit omnium de iis opinio et fama. Tenetur sacerdos eos amovere vel ab iis discedere, simul atque apud populum male iidem audierint.

Caveant sacerdotes ne divitias vel sibi vel suis exaggerent, gravissimum officium suum esse putantes, etiam dum vivunt, quod de beneficio, officio etc supersit, in benefacta erogare, praesertim in sacrum seminarium. Flagitii sane plenum est atque dedecoris opes post mortem relinquere, nisi forte ea bona vel domestica fuerint, vel hereditaria, vel propria industria parta, quae non sit cum sacro officio suo aliquo modo coniuncta. Meminerint sacerdotes gravissima Christi verba in divitias male collocatas, et testamentum S. Pii X qui scripsit: « pauper natus sum, pauper vixi, pauper mori volo ».

Prohibitiones et sanctiones (art. 83-92)

Clerici et religiosi omnia vitent, quae eorum vitae condicionem dedeceant, omnia scilicet quae lucrum sapiant, commercia, negotiationes, lauta emolumenta etc.; maxima prudentia cum iis

---

[1] Partem antecedentem vd. *Periodica* 49 (1960) 497-508.

agant, qui operam se navaturos pollicentur aut auxilia praebituros, insuetis tamen vel obscuris vel ultra modum lucrosis positis conditionibus.

Si iusta de causa publicas cauponias adire debeant, eas tantum eligant quae illos magis deceant, ibique se gerant ea, qua obstringuntur, dignitate.

Clerici et religiosi comitia ne habeant neve iisdem intersint; suum nomen nullis dent politicis partibus, neu socii earum sint consociationum, operum etc. quae laicorum sint propria. Si quae vero exortae fuerint causae ob quas aliter agendum sit, opportunae facultates petantur ab Ecclesiastica Auctoritate.

Cum sacerdotes necesse habent sive Ecclesiae sive Rei publicae adire Moderatores, numquam obliviscantur, finem bonum, nullo modo posse pravis rationibus probari, veluti veritatis corruptione et aliorum iurium damno.

Clerici et religiosi, qui intra dioecesis fines ad maritimas oras uti balneis debeant, peculiaria praescripta servent, hac super re, a Vicariatu Urbis edita; cum vero extra dioecesim iisdem sit abeundum, praescripta ab Ordinariis locorum diligenter servent.

Clerici et religiosi vetantur emere et regere cuiusvis generis vehicula machinationibus instructa, nisi facultate sint praediti a Vicariatu Urbis per litteras data, et utantur tantum ad pastorale ministerium vel officium vel alia id genus.

Clerici ac religiosi, exceptis verae necessitatis causis, iter automataria raeda soli cum alterius sexus comite ne suscipiant, etsi de propinquis agitur vel famulis.

Clerici, religiosi, omnesque ad ecclesiasticam vel religiosam vitam contendentes, sive continuo sive brevi tempore in Urbe degunt, omnino vetantur quibuslibet spectaculis Romae adesse — iis etiam quibus vulgo *cineforum* est nomen — in oecis (sale) aliisque locis, quae ab ecclesiastica Auctoritate neque pendent, neque sunt ab eadem approbata. Iidem vetantur etiam accedere ad loca ab ecclesiastica Auctoritate pendentia vel probata, iis tantum exceptis qui a Vicariatu opportunas facultates obtinuerunt. Si necessitas aut opportunitas requirat ut adsint ludis supradictis, Vicariatus consulendus est eiusdemque parendum consiliis.

Dolosa violatio horum praescriptorum, poenis « ferendae sententiae » plectetur. Si clericus *in sacris,* vel semel, theatralibus aut cinematographicis spectaculis interfuerit, in locis ab ecclesiastica Auctoritate non probatis, aut circensia ludicra (circhi equestri) spectaverit, ipso facto « *in suspensionem a divinis,* nemini reservatam » incurrit; quod si clericus vel religiosus ad memorata spectacula, laicorum veste indutus accesserit, suam augebit culpam, quae severioribus poenis multabitur, non exclusa continua amandatione ab Urbe.

In conferendis beneficiis vel officiis sive in Romana dioecesi, sive in Romana curia, haec quae sequuntur etiam perpendenda sunt: an candidatus quae de peragendis spiritualibus exercitatio-

nibus praescribuntur, diligenter servaverit sive Romae sive alibi; an leges servaverit quae de facultatibus audiendi confessiones et concionandi hac Synodo statuuntur. Ei qui contra fecerit aut cui facultates denegatae aut revocatae sunt, quaelibet vel muneris vel dignitatis accessio praecluditur. Ut sacerdotes beneficiis vel officiis potiantur requiritur etiam ut ministerio pastorali laudabiliter ac directe, per conveniens tempus, functi sint.

Clerici ac religiosi, qui a regionibus veniunt, ubi mores consuetudinesque a Romanis longe diversa vigent, etiamsi incommoda sint ferenda, libenter se Urbis necessitatibus, in qua versantur, accommodent.

De clero Romano singillatim

De canonicorum capitulis (art. 93-99)

Capitulares omnibus praestare debent exemplo sacerdotalis virtutis et diligentiae in Dei cultum provehendum. Libenti animo ad concionandi munus suscipiendum, ad fidelium confessiones audiendas sint parati, tunc praesertim cum capitulari collegio animarum cura coniuncta est. Conventio, ubi nondum habeatur, ad normam can. 415, inter canonicorum capitulum et vicarium curatum ineatur, ut et mutuam iidem inter se operam praesent, et de accepti et expensi rationibus aequandis singillatim statuant.

In beneficiis conferendis in patriarchalibus basilicis et collegialibus templis, ceteris paribus, ratio habeatur illorum e Romano clero sacerdotum, qui omni studio in sacrum ministerium incubuerint.

De parochis (art. 100-134)

Paroecia est dioecesis veluti cardo, centrum ministerii pastoralis.

Parochus in omnibus ostendat se *caritate Christi urgeri,* et non in fidelissimorum manipulo quiescere, sed omnes quaerere, et eos maxime, qui a paroeciae consuetudine magis sint seiuncti, ut in vivacem communitatem suam immittat; ad sui animi utilitatem atque ad supernam muneris sui fecunditatem augendam, secum meditetur, quae Sancta Ecclesia de pastorali munere obeundo decernit, sive Pontificii Magisterii actis, sive Codice iuris canonici, sive hac Synodo; ut inde ad agendum stimulos sumat, indeque lucem ad errores praecavendos, per quos is facile labitur qui huiusmodi grave implicatumque officium sustinet (art. 104).

Sacerdos, ad regendam paroeciam designatus, periculum ad paroeciale munus praescriptum faciat, et nominatione accepta, antequam munus suum ineat, per aliquot dies, aeternis meditandis rebus vacet oportebit (art. 105).

Semper et praesertim initio, parochus ad prudentiae et caritatis rationem se gerat. Caveat nominatim ne continuo talia iubeat — nisi gravi de causa — quae cum decessorum suorum iussis aperte dissideant, neve palam sententias aperiat, quibus eorum res gestae atque instituta spernantur vel vituperentur.

In primis curet plenam habere cognitionem commissi sibi gregis et utatur aptis adiumentis « statu animarum » et praesertim personali relatione cum familiis et singulis fidelibus in visitatione domorum tempore paschali etc.; in statu animarum conscribendo, ita exaret schedulas ut potius paroecianorum religiosam moralemque vitam referat, quam eorum merum album exhibeat, et studeat ut hoc rationarium praesto sit semper ad usum. Singulari studio pueros, pauperes, infirmosque diligat (art. 467-468).

Sanctum Arsiensem parochum in exemplum intuens, cui sacrum Tabernaculum veluti fons esse videbatur, unde ipse supernas continenter hauriebat vires, numquam obliviscatur in unaquaque paroecia « medium esse templum, in medio templo sacrum Tabernaculum, et ad eius latera sedes sacris Confessionibus excipiendis, unde christianae plebi supernaturalis vita, vel sanitas restituitur » (PIO XII, 11 febbr. 1953, in: *Discorsi*, vol. XIV, p. 452).

Parochus templum diligat suum, in eoque et horas canonicas recitet et sacrarum caerimoniarum splendorem et templi decorem summo studio ac liberalitate prosequatur ut merito dicere possit: « Dilexi decorem domus tuae » (*Ps.* 25, 8). (art. 110).

* * *

De paroecialibus operibus: Parochus, ne extemporaliter agat neve tempus viresque consumet, ante octobrem mensem exactum, una cum proximis laboris sui sociis, ordinem rerum in venientem annum gerendarum attente consideret atque describat, pauca, perspicua, idonea coepta constituens, quorum unum potissimum urgeat. Per annum vero, collatis cum adiutoribus consiliis, huiusmodi gerendarum rerum ordinem statis temporibus excutiat, et difficultates, si quae exortae sint, componat, omnesque ad agendum instimulet.

Summa diligentia invigilet, quae scripta quaeve ephemerides in paroeciae finibus vulgentur, quidve sodalicia Ecclesiae infesta inibi agant; de quibus rebus Vicariatum certiorem faciat (art. 111).

Parochus provideat et comparet, iis adiumentis quae magis idonea ipsi videantur, christianae doctrinae institutionem non modo pueris sed etiam adulescentibus atque adultis impertiendam. Foveat, praeterea, in scholis elementarii vel medii ordinis religiosam institutionem, idque putet sui ipsius officii veluti complementum, sane gravissimum; atque, si quid in huiusmodi scholis desiderari compererit, Officium Catechisticum dioecesanum moneat.

Parochus conscius se non posse omnibus fidelium necessitatibus satisfacere, faveat operibus apostolatus interparoecialibus et

dioecesanis quae in bonum omnium fidelium ineuntur, ut v. gr. quaestiones de ephemeride catholica promovenda, de spectaculis cinematographicis etc. (art. 113).

Debet parochus administrare Sacramenta fidelibus, quoties legitime petant et diligentissime curet ut ordinate et cum fructu suppeditentur et participentur. Summa sollicitudine provideat ut fideles, praesertim diebus festis, iam primo mane sacro interesse ac Sacramentis facile riteque refici queant. Se autem ipsum in templo orantem orantibus fidelibus conspiciendum praebeat, numquam oblitus id ad commissi populi utilitatem quam maxime conducere.

Defunctis fidelibus iusta funebria persolvat, et nihil pretii ob pauperum exsequias repetat, et cum sibi debitum petit et accipit, humanitatem modestiamque ostendat. Demortui propinquis paterni animi sui sincerum dolorem parochus testetur (art. 116).

Singulis mensibus, et quotiescumque rerum adiuncta id requirere videntur, parochus paroeciale Consilium (Consulta) cuius partes erunt omnium catholicorum sodaliciorum praesides, cogat eique praesit, ut, fraterne collata opera, utiliora incepta perpendant atque in effectum deducant, quae ad dioecesim vel paroeciam spectant.

Tempore quadragesimali parochus summa sollertia studeat ut, praeter pias exercitationes meditationesque pro universo populo, proprii etiam pro viris, pro mulieribus, pro adulescentibus secessus pietatis causas singillatim habeantur. Quam ad rem cum sacris oratoribus et confessariis tempore conveniat.

Decimo saltem quoque anno, parochus missiones ad populum habendas curet (art. 121).

Parochus numquam a paroecia discedat, nisi sacerdotem, eidem regendae idoneum, in ea reliquerit ad normam can. 465, § 4, et cum scripta licentia Vicariatus, si ultra hebdomadam abesse cogatur; a paroecia numquam diebus festis absit, nisi ob annuas ferias, vel ob repentinam gravemque causam.

Singulis mensibus sit praesens in sacro secessu et impensissime parochus monetur, ut quotannis spiritualibus Exercitationibus per statos dies vacet.

In Romanis paroeciis, quae, Cardinalis Vicarii iudicio, ad id accomodatae sint, parochus, eius vicarii ceterique sacerdotes adiutores vitam communem degunt. Quae vitae ratio ad religionis pietatisque officia facilius exsequenda iuvat, ad mutuam concordiam caritatemque animos excitat, ac sacerdotes ita inter se conglutinat, ut christifidelibus exemplo sint, utque navitatis suae vim et efficacitatem augeant. Ubi vita communis viget, ibi laici vel parochi propinqui degere nequeunt, nisi de Cardinalis Vicarii expressa licentia.

Parochus vicarios suos, qui praesertim iuvenes sint, animarumque curandarum adhuc inexperti, sincera humanitate et caritate prosequatur, recogitans sibi commune cum ipsis esse sacerdotium,

maximique momenti auxilium ab iis suo muneri afferri. Eos dirigat iisdemque verbo, consilio, atque exemplo potissimum adsit; cum iure et auctoritate sua utitur, se illis veluti fratrem et amicum praestet; cum iis rerum gerendarum ordinem rationemque communicet; consilium de gravioribus paroeciae negotiis ab ipsis petat; eosque ad paroecialium sodaliciorum conventus invitet.

Quoad stipendia vicariis persolvenda, summa iustitia parochus huius Synodi praescripta servet, atque, si id paroeciae opes sinant, cooperatoribus suis liberaliter prospiciat (art. 126).

Si in paroeciae finibus, catholica studiorum instituta exstent, parochus eorum moderatores prudenter amanterque moneat, quanti sit momenti apostolatus incepta, si quae ab ipsis ineantur, cum paroeciae inceptis congruere, atque alumnos ita instituere, ut se paroeciae partem esse sentiant.

Paroeciae tabularium in ordinem redigatur et bene erit si res maioris momenti in paroecia gestas in diarium accurate scripserit.

Aequum stipendium parochus aedituis solvat eosque adiuvet ad munus bene explendum et ad pie honesteque vivendum. Curet etiam ut iidem christianae doctrinae ac sacrae Liturgiae elementa discant. Quodsi officii exsequendi se imperitos vel indignos praestiterint, eos amoveat, pecunia iisdem soluta, quae ex Reipublicae legibus hac in re debetur (art. 129).

In singulis paroeciis quotannis parochus funus faciat pro anima sui proximi decessoris, ad quod etiam fideles invitentur ut gratam voluntatem ei testentur, qui se totum eorum animis colendis dicavit.

Romanae paroeciae in circumscriptiones dividuntur, quae « praefecturae » vocantur; quarum unaquaeque plures paroecias complectitur. Unicuique praefecturae praeest parochus a Cardinali Vicario nominatus ad triennium, cum muneribus quae Codex I. C. vicario foraneo largitur: (cc. 447-450). Praefecti efficiunt Consilium cui praeponitur Camerarius ab ipsis electus et a Cardinali Vicario confirmatus. Eadem lege secretarius Consilii eligetur (art. 134).

De parochi vicariis (art. 135-145)

Vicarii cooperatores per Cardinalis Vicarii litteras nominantur vel approbantur ad normam can. 476, § 3-4. Cooperator, qui translatus sit ab una paroecia in aliam, caveat ne se paroeciae negotiis ullo modo implicet, a qua discessit. Nominatione accepta, cooperator se parocho sistat, ut continuo commissum sibi officium fidenter submisseque aggrediatur. Vicarii adiutricem operam parocho « in opus ministerii » summo studio navare tenentur, cum eo difficultates atque impedimenta suscipere, ac fraterno animo gaudia doloresque cum eodem participare; parochum ut moderatorem patremque habeant, colant, diligant, eidemque prompto animo praesto sint.

Vicarii conventibus intersint, quos parochus, ad perpendendas definiendasque opportunas agendi rationes, statis temporibus coegerit; atque diligentissime in templo, dum sacri ritus peraguntur, sunto. In commisso munere obeundo, certis temporibus parochum certiorem faciant de iis, quae egerint, de difficultatibus, de rerum exitu etc. ut eius opportunis monitis consiliisque fruantur. Caveant ne fidelium factionibus faveant, quae cum reliqua paroeciali societate non plene concordent. Sine parochi licentia ne ulla munia, ne sacri quidem ministerii causa, in se recipiant, extra paroeciae fines obeunda. Cum vero de improviso discedere debent, parochum aut collegam certiorem faciant, ne fideles, et praesertim iuvenum sodalitates, opportuno subsidio careant.

Vicarii, qui in publicis scholis christianam docent doctrinam, meminerint huiusmodi munus esse veluti complementum illius apostolatus, qui in paroecia per catechesim habetur, et parochum edoceant quantum e sua paroecia discipuli in religionis studio proficiant.

Omnes parochi vicarii, ex utroque clero, sacris meditationibus interesse tenentur, quas Vicariatus pro ipsis in singulos menses habendas curat, et data occasione quaestio aliqua de Theologia morali agitabitur.

Parochi vicariis feriarum mensis quotannis conceditur, quo aut uno tenore aut per partes frui poterunt, audito parocho rationeque habita de paroeciae necessitatibus. Ad parochi vicarios religiosos quod attinet, normas iidem servent, quae a suis Moderatoribus statutae sunt.

De ecclesiarum rectoribus (art. 146-150)

Ecclesiarum rectores a Cardinali Vicario nominantur, salvis S. R. E. Cardinalium iuribus in propriis titulis vel diaconiis, salvoque iure eligendi aut praesentandi, de quo in can. 480. In ecclesiis exemptis, rector a legitimo Superiore nominatus, a Cardinali Vicario approbandus est. Rectores munus suum ad eiusdem Cardinalis Vicarii nutum tuentur, salvo praescripto can. 486.

Officium suum prudentia atque humanitate exsequantur, caveantque ne se in parochorum locum sufficiant, neve eorum iura minuant, neve paroeciali ministerio noceant (cf. can. 482). Cum parocho nominatim paciscantur, ut sacri ritus, apte digesta horarum serie, celebrentur, quo christifideles commodius religionis praeceptis obsequi possint. Affixa singularum ecclesiarum foribus tabula, sacrarum caerimoniarum ordo et horae perspicue in populi notitiam perferantur, quae in paroeciae finibus celebrantur.

Quilibet rector praecipuum officium suum esse existimet paroecialibus operibus favere, ideoque curet, collatis cum parocho consiliis, ut in sua ecclesia christianae doctrinae praecepta tradantur, sacrae contiones habeantur, fideles paschali tempore ad sacram Synaxim disponantur, et quoties parochus postulaverit

usum Ecclesiae pro aliqua caerimonia, libenti animo assentiat. Coetibus vocatus intersit, quos parochus statis temporibus cogit ad ea consideranda, quae animarum cura postulat.

Rectores ecclesiarum exterarum nationum sedulo curent, ut templa ipsis commissa gentis suae sint et Romanae fidei testimonium et veluti centrum pastoralis sollicitudinis erga concives in Urbe degentes.

Stipes quae, ad Vicariatus praescripta, corrogatae sint, ad parochum mittantur et sine Vicariatus expressa licentia, stipem publice extra ecclesiam ne cogunto.

De cappellanis (art. 151-161)

Cappellani (can. 479 § 2) ac moderatores sodalitatum operumque quae Romae a S. Sede vel a Vicariatu instituta probatave sunt, per Cardinalis Vicarii litteras nominantur ad normam can. 698, § 1. Idem dicatur de societatibus quae a religiosis extra proprias ecclesias institutae sunt ex apostolico privilegio. Cappellani societatum quae in religiosorum ecclesiis constitutae sunt, si e clero saeculari sunt, eliguntur a Superiore religioso, consentiente Cardinali Vicario.

Moderatores et cappellani adiumenta eligant quae magis idonea sint ut socii sodalitatum ad perfectam christianam virtutem perveniant et ad solidiorem cognitionem sacrae doctrinae. Curent quoque ut etiam alii egentes eius beneficiis fruantur. Adiutricem operam parocho libenter navent ac studiose curent, ut socii vitam paroecialis communitatis participent. Si eos parochi advocant, coetibus intersint qui ad catholicas res ordinandas coguntur (art. 153).

F a c u l t a t e s : generalibus Ecclesiae legibus derogatis, Cardinalis Vicarius has quae sequuntur facultates moderatori cappellanorum, in publicis valetudinariis vel in hospitalibus infirmorum curandorum aedibus operam insumentium, concedere poterit, quibus illi in memoratis valetudinariis domibusve tantum fruantur:

1) ad Baptismum, quod attinet: facultatem lustralis aquae fontem in sacello habendi, puerosque baptizandi, qui vel in lucem editi vel hospitio accepti sint, salva obligatione nuntium mittendi ad pueri parochum.

2) facultatem Confirmationem morientibus administrandi, iisdem prorsus condicionibus, quae parochis statutae sunt.

3) ad Paenitentiam, quod spectat: facultatem Confessiones audiendi eamque, *per modum actus,* aliis etiam sacerdotibus concedendi, qui rite a quovis Ordinario probati sint;

4) ad Eucharistiam, quod spectat: facultatem administrandi Viaticum.

5) omnes facultates parochis proprias, quae vel ad praevia Matrimonii acta et documenta, vel ad ipsum sacramentum celebrandum spectant, dummodo unus saltem contrahentium hospitio receptus sit; hisce in rerum adiunctis, excepto mortis periculo, ad

liceitatem necesse est ut Vicariatus mature certior fiat de celebrandi Matrimonii statu atque adiunctis (posizione matrimoniale), atque ut ratio scripto mandetur, cur Matrimonium in valetudinario celebrandum sit;

6) facultatem administrandi Extremam Unctionem.

7) potestatem in valetudinarii vel huiusmodi domus sacello iusta funebria iis persolvendi, qui ibi defuncti sint;

8) ad reliquas reservatas caerimonias, quod attinet: facultatem valetudinaria infirmorumque curandorum domos hebdomada post sollemnia Paschae benedicendi, Baptismatis fontem Sabbato Sancto piandi, sacras processiones indicendi iisque praesidendi, ceterasque sollemnes benedictiones impertiendi, de quibus can. 462, n. 7 statuit (art. 154).

Cappellanorum moderator habeat libros baptizatorum, confirmatorum et defunctorum quibus iusta funebria in valetudinario persoluta sint. Ad margines libri baptismatis adnotet, si quae sint, quae ad filios legitimatos, aut a patre vel matre agnitos, ad Confirmationem, Matrimonium, sacram Ordinationem, votaque sollemnia respiciant; atque ius conceditur exemplum authenticum vel documentum iis dandi, qui huiusmodi acta legitime petierint. Cum nuptiae in valetudinario celebrantur, earum actum geminato exemplari exaretur, nisi Vicariatus contra manifesto caverit. Quae bina exempla, una cum ceteris documentis ad idem Matrimonium spectantibus, ad paroeciam mittantur, in cuius finibus valetudinarium vel infirmorum domus exstat, ut negotia omnia pertractentur a Codice Iuris Canonici, a concordatariis legibus vel a Vicariatu praescripta.

Valetudinariorum cappellani commissum sibi officium diligentissimo modo absolvant: sedula cura et effusa caritate aegrotos, maxime vero morti proximos, adiuvent, eos sollicite Sacramentis reficiendo, eorumque animas Deo commendando; in medicos, infirmarios et in alios inservientes bono facilique animo sint, eorumque rebus consilio auxilioque adsint et tempore Paschali impensissime studeant ut infirmos ac valetudinarii ministros ad sacram Synaxim diligenter parent. Infirmorum parochos certiores faciant de rebus omnibus quae ad aegrotorum bonum conducant. Pariter infirmos moneant de officio, quo suae paroeciae vitam participare tenentur, ita ut corporis molestias precesque pro paroecia Deo offerant, ac, domum reversi, illi validam adiutricem operam praestent (art. 156).

Laicorum ephebeorum (convitti) cappellani, a Cardinali Vicario nominati, in hisce aedibus ut parochi loci vicarii habentur (cf. can. 476, § 2). Peculiari diligentia provideant ut diebus festis ibi Missa celebretur in qua Evangelium vel sacrae doctrinae praecepta explicentur et Sacramentorum usum commodum reddant; curent ut peculiari praeparatione ad sacram Synaxim paschali tempore accedant; diligentia studeant, ut horae ad audiendas alumnorum Confessiones accomodatae et definiantur et serventur; maxima vi-

gilantia caveant, ut sacrae doctrinae praecepta ordine rectaque norma tradantur; curent etiam ut omni diligentia parentur qui ad primam S. Communionem vel ad Confirmationem admittendi erunt et sacri hi ritus debita cum pietate et sollemnitate celebrentur. Cum moderatoribus doctoribusque humanitate ac modestia agant et ephebei quoque famulis sacerdotali studio adsint (art. 157).

Cappellani opificum et socialium consociationum a Cardinali Vicario ut parochorum cooperatores nominantur. Omnino curent ut cum moderatore vitam communem agant. Eorum officium est promovere vitam religiosam morumque integritatem in publicis aedibus, in administrationibus, in officinis et in maioribus opificum sedibus; omnibus sacerdotalium virtutum exempla praebeant, praesertim caritatis et generosae abstinentiae. Libenti animo studeant ut operarii et laboris datores morum doctrinam socialesque res optime noscant, singulorum bonum curent et semper ut iustitiae pacisque administros se praestent. Atque etiam studiose eos ad Eucharisticam dapem paschali tempore recipiendam parent, ad Sacramentorum frequentiam adducant et ad paroeciae vitam participandam.

Publicae custodiae cappellani, commissi sibi ministerii momentum ac pondus considerantes, captivos tam amanti sacerdotali caritate solentur ac prosequantur, ut eos ad novam fiduciam in caelesti Patre collocandam excitent, eosque in molestiis aequo animo tolerandis iuvent. Summo studio eorum pietati consulant, atque etiam in primis curent ut sufficiens confessariorum numerus singulis hebdomadis captivis praesto sit.

De ecclesiasticis assistentibus (art. 162-168)

Omnes a Cardinali Vicario nominantur. Praecipua eorum munera sunt: curare ut in recta fidei norma et in fideli oboedientia erga ecclesiasticam Auctoritatem perseverent; sodales perfecta christianae vitae institutione imbuere et ad hoc utantur praesertim catechesi, Liturgia, spiritualibus Exercitationibus, sic dictis diebus vel hebdomadibus studii etc.; studere ut sodales religionis leges fideliter observent, ac saepe, ad morum sanctitudinem obtinendam, Paenitentiae sacramentum obeant, mensaque Eucharistica frequenter reficiantur.

Sacerdos assistens singulis sodalium coetibus intersit, et initio de aliqua religiosa re agat, quae sodalitatis rationi ac necessitatibus potissimum congruat.

Parocho ius est catholicis sodaliciis operibusque paroecialibus adsistendi; quo in exercendo munere ab aliis sacerdotibus a Cardinali Vicario electis, iuvari poterit.

Sacerdos assistens sodaliciorum paroecialium, paroeciae vitam foveat ad mentem parochi, suam actionem ad propinquos sodalium extendat et curet novos sodales diligenter electos adiicere; curet

etiam ut aptiores inter sodales adeant dioecesanas societates, quarum rationes proprio cuiusque muneri magis respondeant (art. 165).

Sacerdotum assistentium est, se ad proprium munus bene exsequendum opportuno tempore parare et rationes agendique modum Actionis Catholicae, aliorumque sodaliciorum, itemque Summorum Pontificum acta ad eadem respicientia probe novisse.

Sacerdotes assistentes earum consociationum, quae in collegiis institutae sunt, sodalium animos ita forment, ut hi ad adiutricem operam paroecialibus societatibus quondam navandam parentur.

Cardinalis Vicarii est nominare sacerdotem Delegatum dioecesanum pro Actione Catholica; Delegatus praeest dioecesano Consilio (= Giunta), et Ordinarii personam gerit in omnibus Actionis Catholicae conventibus, praeterea officii coniunctionem servat cum singulis parochis, cum praesidibus dioecesanis et collegio sacerdotum assistentium praeest eorumque inceptis moderatur.

IOANNES LO GRASSO, S. I.

ACTA SS. CONGREGATIONUM

Suprema Sacra Congregatio Sancti Officii

NOTIFICATIO

(A.A.S. 53 [1961] 107)

Sacerdotem Michaëlem Collin, e Congregatione Sacerdotum a S. Corde iam dimissum, qui saepe ac variis modis praescripta sacrorum canonum violaverat, Suprema S. Congregatio S. Officii, Decreto Feriae IV diei 17 Ianuarii 1951, ad statum laicalem redegerat (*A.A.S.* 1951 p. 477).

Quum autem idem sacerdos contumaciter inoboedientem sese exhibuerit ac non destiterit a promovendis formis devotionis et cultus non adprobatis, immo etiam vetitis, idque cum fidelium deceptione et publico scandalo, E.mi ac Rev.mi Patres rebus fidei et morum tutandis praepositi, in Conventu Plenario Feriae IV diei 8 Februarii 1961, ipsum Michaëlem Collin interdicendum decreverunt ab ingressu ecclesiae.

Feria VI die 10 eiusdem mensis et anni SS.mus D. N. D. Ioannes divina Providentia Papa XXIII, in Audientia Exc.mo ac Rev.mo D.no Adsessori S. Officii impertita, relatam Sibi E.morum Patrum resolutionem adprobavit ac publici iuris fieri iussit.

Datum Romae, ex Aedibus S. Officii, die 14 Februarii 1961.

SEBASTIANUS MASALA, *Notarius*

Sacra Congregatio Consistorialis

EXCOMMUNICATIONIS DECLARATIO

(A.A.S. 53 [1961] 111)

Cum postremis hisce temporibus in Republica Haitiana in Ecclesiae iura invasum sit; quin etiam aliqui violentas manus inicere in Exc.mum P. D. Franciscum Poirier, Archiepiscopum Portus Principis, et in Exc.mum P. D. Remigium Augustin, Episcopum titularem Turuzitanum, Administratorem Apostolicum « Sede plena » eiusdem archidioecesis Portus Principis, ausi sint, illos ab exercitio suae iurisdictionis impediendo et ab ipsa Ditione Haitiana expellendo, Sacra Congregatio Consistorialis declarat ac monet eos omnes qui huiusmodi delicta patraverint, sive mandantes cuiuscumque generis et gradus, sive complices quos praefata delicta, sua natura, postulaverint, sive illos qui ad delictorum consummationem induxerint vel in hanc quoquo modo concurrerint, si tamen sine eorum auxilio delictum non fuisset commissum, excommunicationem latae sententiae speciali modo Apostolicae Sedi reservatam, vi cann. 2343 § 3, 2334 n. 2, 2209 §§ 1, 2, 3, contraxisse, ceterasque poenas pro qualitate delinquentium incurrisse ad normam Sacrorum Canonum Codicis Iuris Canonici.

Ex Aedibus S. Congregationis Consistorialis, die 12 Ianuarii anno 1961.

✠ MARCELLUS Card. MIMMI, Ep. Sabinen. et Mandelen.,
a Secretis

L. ✠ S.

† IOSEPHUS FERRETTO, Archiep. Serdicen., *Adsessor*

AVVISO AGLI ABBONATI

1) Nel fare l'abbonamento o nel trasmettere indirizzi, indicare sempre se trattasi di abbonamenti nuovi o rinnovati.

2) Rinnovando dare l'indirizzo uguale a quello con cui si riceve.

3) Per correzioni o variazioni al nuovo indirizzo si unisca sempre il vecchio con cui si riceveva.

Roma, Piazza della Pilotta, 4 (c. c. post. 1/22326)

Approbantibus Superioribus Ecclesiasticis

P. VINCENZO MONACHINO S. I., Direttore responsabile

Typis Pontificiae Universitatis Gregorianae, 1961

PERIODICA

DE RE MORALI CANONICA LITURGICA

prodit quater in anno

integrum volumen circiter 450 paginas continet

SUBNOTATIONIS RATIO

Nominis ac domicilii inscriptio clare signetur et in subnotatione iteranda indicetur semper praecedens inscriptio cum numero sibi imposito.

Subnotationis annuum pretium in antecessum solvendum est et ejus pactio tacite iterata censetur, nisi expresse ante finem anni renuatur.

Nulla querela pro prioribus fasciculis admittitur, nisi statim post receptum sequentem.

Pretium annuae subnotationis:	in Italia L. 1.500	- Extra Italiam $ 3.
Fasciculus vertentis anni:	in Italia L. 500	- Extra Italiam $ 1.
Volumen praeteritum:	in Italia L. 2.000	- Extra Italiam $ 4.
Fasciculus praeteritus:	in Italia L. 600	- Extra Italiam $ 1.25

Roma, Piazza della Pilotta, 4 (c. c. postale 1/22326)